Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sanctijosephi0000vari

DE CULTU

SANCTI JOSEPHI

AMPLIFICANDO

POSTULATUM

DE FACULTATE ECCLESIASTICA

Imprimatur :

Parisiis, die 17 januarii 1908.

P. FAGES, V. G.

DE CULTU

SANCTI JOSEPHI

SPONSI VIRGINIS MARIÆ AC CHRISTI PARENTIS

AMPLIFICANDO

POSTULATUM

A PLUS QUAM NONGENTIS

Cardinalibus, Episcopis, Superioribus Generalibus

SUBSCRIPTUM

THEOLOGICIS THESIBUS OBFIRMATUM

AUCTORE C. M.

S. THEOLOGIÆ LECTORE.

EDITIO TERTIA

ALMA COLLEGE
233.96
LIBRARY
C1
Alma, California

PARIS

LIBRAIRIE V. LECOFFRE

GABALDA ET Cie

90, RUE BONAPARTE

1908

33057

POSTULATUM

Una cum aliis Emis Cardinalibus ac Rmis Archiepiscopis et Episcopis, Infrascriptus supplex postulat, ut Sanctitas Sua Pius Pp. X, pro auctoritate sua, decernat:

1° Ut, quemadmodum Beatus Josephus, ceu pater Christi, *tanto melior creaturis omnibus effectus fuit, quanto differentius prae illis nomen haereditavit*, sic ipsimet, per sacrorum Rituum Congregationis decretum, *protoduliae* cultus in Ecclesia catholica atque in s. Liturgia, post Beatam Dei Genitricem, præ omnibus Cœlitibus, in posterum tribuatur;

2° Ut venerabile Josephi nomen, ceu supremi, post Dei Genitricem, Ecclesiæ catholicæ Patroni, in Missæ sacrificio, nempe in *Confiteor*, in orationibus, *Suscipe, Sancta Trinitas*, *Communicantes*, ac *Libera nos*, post dulcissimum Mariæ nomen, invocetur.

PROŒMIUM

Scopus hujus qualiscumque opellæ non est tractatum theologicum seu asceticum de S. Josepho instituere, sed *Postulatum* suprascriptum duntaxat proponere ac tueri.

Igitur, ab exordio dicam, ea tantum attigero, quæ ad intentum necessaria vel valde utilia videbuntur.

Postulatum duplex objectum continet, alterum de cultu sancto Josepho debito, alterum, de ejusdem nomine in orationibus Missæ invocando : hinc duplex totius operis divisio. Petitio prior, de cultu *Protoduliæ*, est, uti patet, longe potissima, cujus posterior non habetur nisi exercitium practicum et consequentia.

Quanquam cultus Ecclesiæ publicus erga s. Josephum, ultimis hisce temporibus, haud parum creverit, nihil tamen sibi singulare adscribit, estque tantum, in s. Liturgia, unus e potioribus.

Porro cultus, duce Damasceno, generatim diffinitur : « Submissionis et humilitatis nota » (*de Imag.* 1) ; aut : « Cedentis submissio atque humilis significatio ». (*Orat. 3.*) Sed accuratius ab Emo Franzelin : « Actus subjectionis ad agnitam excellentiam alterius ». (*de Inc. th.* 45).

Proinde duo distinguuntur in cultu, alterum materiale, « submissio, humilis significatio, actus subjectionis » ; *formale* alterum, « excellentia agnita », propter quam aliquis alicui subjectionem significat.

Ex quo statim affulget cultus *essentiam* non specificari ex actibus subjectionis, utut variis aut multiplicatis, sed ex sola excellentia quam quis recognoscere intendit, vel quam actus ipse natura sua aut ex conventione significat.

Profanus vel sacer potest esse cultus, prout excellentia agnita ordinis est mere naturalis vel ordinis supernaturalis. Jam in utroque ordine alia est excellentia, quæ *perfectionem* aliquam personæ intrinsecam importat ; alia, quæ, licet *per se* personam non perficiat, illam tamen vere afficit, ex aliquo *titulo*, qui ipsi proprius inest, velut patris, domini, regis... titulus.

Mittimus cultum profanum.

Si de creaturis rationalibus agitur, excellentia supernaturalis,

perfectionem intrinsecam importans, continetur gratiæ gratum facientis ambitu et donis eam comitantibus. Excellentia vero ex *titulo* originem non ducit ex titulo, qui possit homini, sola inspecta natura, accedere, sed ex titulo duntaxat, qui fundamentum habeat in uno alterove horum mirabilium, quæ Deus, præter et supra exigentiam totius naturæ creatæ, operatus est, ex titulo nimirum, qui hominem ad Deum referat, in ordine prorsus indebito, attactum vel possidendum.

Hæc quidem excellentia ex solo titulo orta, quamvis non importet per se perfectionem intrinsecam, eamdem nihilominus supponit et exposcit, ut titulus *digne* feratur : ubicumque enim dotes titulo non respondent, dedecus quoddam ipsimet personæ inuri necesse est. Deus autem, quum ipse alicui titulum supernaturalem confert, abs dubio gratiam æqualem addit, tum maxime quum titulo munus nectitur exercendum.

Jamvero *cultus*, sermone sacro, est, *in genere*, honoris significatio, quam Ecclesia præstat Deo, ac, propter eum, Sanctis ejus, ob testimonium excellentiæ supernaturalis cuique propriæ.

In *specie* dividitur in cultum Latriæ, Duliæ et Hyperduliæ.

Cultus *Latriæ* est cultus Deo soli debitus, ob agnitam ejus excellentiam ipsi soli propriam, i.e., ob excellentiam *a se* et infinitam, quæ causa est absolute prima et libera alius cujusvis excellentiæ.

Cultus *Duliæ* est cultus servis Dei debitus, pro eorum excellentia supernaturali participata.

Cultus *Hyperduliæ* est cultus Beatæ Virgini debitus, supra cultum omnium Sanctorum, ob ejus excellentiam, quæ superexcedit omnium Sanctorum excellentiam, atque etiam ab illa quadantenus specie differt.

Ecclesia cultu sacro Sanctos prosequitur, at non eadem pompa seu devotionis significatione, quæ erga alios major est, erga alios minor. Inde non sequitur Ecclesiam velle aut posse gradum sanctitatis relativæ cuique diffinire ; sed attendit varias rationes, antiquitatis, celebritatis, utilitatis fidelium, cœlestis inspirationis... Ex quo fit, ut aliquis sanctus aliquo tempore magis, alio tempore minus, aut etiam nihil honoretur. Sic multi sancti, primis temporibus, maximo cultu in Ecclesia floruere, qui jam vix in Martyrologio recensentur.

Licet Ecclesia non attendat gradum sanctitatis relativæ in gradu honoris, quem sanctis præstat, attendit tamen pro Virgine, eo quod, quum gradum sanctitatis cujusque sancti ignoret, scit tamen citra

dubium Beatam Virginem, tractu propemodum infinito, sanctitate Cœlites omnes superare.

Etsi Ecclesia nesciret Beatissimam Mariam sanctitate præstare omnibus Sanctis, posset tamen illam colere cultu hyperduliæ. Ratio est quia certo certius agnoscit in ea *titulum* excellentiæ supernaturalis absolute eminentem, qui cultum sacrum fundare potest. Hic porro titulus, non modo eminet, sed specifice differt ab omni titulo creato : ideoque ob solam divinam maternitatem Bma Virgo potest cultu hyperduliæ honorari.

Itaque S. Dei Genitrix duplici de ratione honoratur cultu hyperduliæ, i.e. cultu absolute supremo supra omnes Sanctos : prima, quod sanctitatis, præsenti in ordine, attigit culmen, secunda, quod titulum supernaturalem eminentem ac ab omni alio specie diversum sortita est.

Cultus in sanctitate Virginis fundatus ejusdem est rationis ac cultus aliorum Sanctorum, i.e. continetur in specie duliæ, quanquam in gradu absolute supremo : gratia enim Virginis specie non differt a gratia Sanctorum, sed tantum in immensum superexcedit ; cultus autem in divina maternitate fundatus alterius videtur esse speciei, utpote qui excellentiam agnoscat specie diversam. At vero, quum gratia seu sanctitas Virginis veluti reguletur titulo *Deiparæ* et per modum unius recolatur, inde fit quod cultus hyperduliæ dici potest alterius speciei ac cultus simplex duliæ : recolitur enim dignitas eminens et specifice diversa, simul cum sanctitate, quæ dignitatem illam necessario comitatur. Aliis verbis : si cultus hyperduliæ contineretur in specie duliæ, non recoleretur titulus absolute specialis Deiparæ, neque satis agnosceretur gratia, qua hic titulus connaturaliter decoratur (1).

(1) Cultus hyperduliæ dici potest absolute vel relative : ***absolute***, qui tribui debet propter excellentiam omni omnino alteri superiorem ; ***relative***, qui tribui potest propter excellentiam quibusdam tantum superiorem. Sic Apostoli possunt aliquatenus honorari cultu hyperduliæ relativæ, quia, licet eorum dignitas supernaturalis et gratia concomitans non excedat limites ordinis gratiæ, quamdam tamen præseferunt principalitatem supra omnes alios sanctos, uti explicite docet s. Thomas. — Verum hæc dictio *cultus hyperduliæ*, neque relative est ipsis applicanda. Etenim 1° dictio quædam reservari debet illi cui competit proprie, per se, plene ac simpliciter. Jamvero soli Virgini Bmæ competit dictio illa ***proprie***, sicut illi soli propria est maternitas divina et gratia concomitans ; *per se*, quia nunquam non fuit ante oculos Dei mater Dei

Hæc, quæ in memoriam revocanda judicavi, verbo claudam Magistri nostri Thomæ Aquinatis, quod quidem facis instar splendide toti viæ prælucebit.

« MAXIMA REVERENTIA DEBETUR HOMINI EX AFFINITATE QUAM HABET AD DEUM » (2.2. *q. 103 a. 4. ad 2.*) — Et sane, quum Deus sit in summo « Reverentiæ debitæ », quanto magis homo affinis est Deo, tanto magis participat de hac debita reverentia : Deum honorat qui honorat affinem Deo.

« CAUSA HONORIS EST ID QUO ILLE QUI HONORATUR HABET ALIQUAM EXCELLENTIAM. NAM HONOR EST REVERENTIA ALICUI EXHIBITA PROPTER SUI EXCELLENTIAM » (*3. q. 25 a. 1. c.*)

Ista quam bene aptentur iis quæ de Beata Virgine modo diximus nemo non videt ; sed non minus recte Beato Josepho aptantur.

Quum de cultu huic Sancto diffiniendo agitur, hùc tandem tota quæstio redit : Quænam ejus est excellentia, quænam ad Deum affinitas ? Quum sancto Josepho postulatur cultus duliæ summus, seu *Protoduliæ*, hic profecto concedendus est, si Beatus vir supra omnes excellit, si, præ omnibus, affinitatem ad Deum habet ; sed multo magis, si ejus excellentia et ejus affinitas ad Deum ab omni alia specie differt. Nec requiritur ut certo nobis constet excellere eum sanctitate : satis est quod titulo supernaturali seu affinitate ad Deum certo excellat, ut habeatur « causa sufficiens honoris » supernaturalis. Utique nullus Beatorum, quod certo sciamus, sanctitate Josepho præstat ; quin immo ipse videtur præstare omnibus ; at dignitate, citra dubium, cunctis præstare dicendus est. Hoc, Deo favente, theologicis argumentis plurimis statuemus.

et gratia plena antonomastice ; *plene* quia nihil est in Maria, quod non fuerit et sit semper dignum cultu hyperduliæ, et etiam quia hic cultus erga Matrem Dei complectitur omnes actus possibiles subjectionis servilis et filialis, solis exclusis actibus latriæ ; *simpliciter*, quia, nulla admissa conditione, vel restrictione, vel comparatione. — 2° In Ecclesia *dictiones* veritatem dogmaticam contingentes non debent applicari nisi juxta usum Ecclesiæ, aut Doctorum et Sanctorum. Jamvero juxta usum Ecclesiæ et modum loquendi Doctorum et Sanctorum, cultus *hyperduliæ* soli Virgini applicatur. — 3° Sicut quædam subjectionis signa, quanquam possent et in aliorum cultum sanctorum inflecti, convenit omnino ut soli Deiparæ tribuantur, quo melius exercite pateat eam discrimine immenso supra omne aliud supernaturale attolli, ita dictio, quæ cultum illi soli debitum significet, est ipsi soli reservanda nec ad alium quemquam, vel relative, detorquenda.

At enim qui velit circa s. Josephum ratiocinari ex argumentis duntaxat traditionis, hanc supremam dignitatem *explicite* docentibus, non modo ejus excellentiam non assequetur, verum etiam facile illam negabit. Scilicet nunquam Patres, aut Concilia, vel Pontifices de hac excellentia formaliter et diserte moverunt quæstionem : hoc unum, cum Evangelio, tuentur, fuisse Josephum patrem Christi et Deiparæ sponsum. Unde audeo dicere totam de s. Josepho theologiam ex hoc unico fonte, collucentibus aliis veritatibus fidei et sensus communis, esse hauriendam. Ideoque, si *explicitam* Patrum de s. Josepho prædicationem spectes, hodiernus erga illum Ecclesiæ cultus longe *excedit*; si *implicitam*, *non attingit*.

Enimvero, præterquam quod Patres duplicem titulum patris ac sponsi in Josepho agnoscunt, qui eorum scripta vel currendo legerit, non potuit non mirari eosdem summis laudibus extulisse tam Veteris quam Novi Pacti sanctos, maxime illos qui Evangelio recensentur : Patriarchas et Prophetas, Simeonem, Joseph ab Arimathea, Centurionem, Latronem... aliosque bene multos, ut sanctas mulieres omittam. Ecquis porro non videt tot præconia in laudem s. Josephi redundare, quantum id exigit relativa eorumdem conditio et ad Deum affinitas ? Mentem igitur Patrum, nec verba tantum, si acceperis, traditione jam dignitas Josephi adumbrabitur.

Attamen negandum non est, plures a sæculo V labente, apocryphis nimium inhærentes, minoris s. Josephum, utpote vetulum et viduum, fecisse.

Ipsimet theologi, qui primi, sæculo XVII, excellentiam summam s. Josephi prædicarunt, probabilem suam sententiam proferebant, vel pro sua nota modestia ac prudenti œconomia — quum vagiret adhuc in cunis cultus s. Patriarchæ, — vel nimium permoti ex defectu traditionis explicitæ, vel, ut ait Suarez, quod Ecclesiæ sententiam expectarent, vel denique quod rem ipsam penitius certe, ut ostendemus, rimati non fuerint (1).

(1) Jam Suarezii tempestate, fuere *zelantes*, qui, extra theologicam scientiam vagi, voluerunt cultum s. Josephi fundare privilegiis temerarie vel erronee propositis. Hic idem pruritus aliquos semper invasit ad hæc nostra usque tempora. Alius nuper dictitabat Josephum fuisse sine labe *conceptum*; alius paternitatem quamdam physicam, licet supernaturalem, Josephi erga Christum propugnabat. (Videsis « La Ciudad de Dios ». Madrid, 20 marzo, 1907. Ibi refutatur hic ultimus error.)

Quantum cultui S. Josephi noceant istæ exaggerationes et mentis eva-

At, tribus abhinc sæculis quam mutatæ circumstantiæ ! In s. Liturgia festum s. Patriarchæ summam ritus obtinet celebritatem ; in cultu fidelium nullum est obsequium aliis Sanctis exhibitum, quod s. Josepho non exhibeatur ; a Summis Pontificibus proclamatur Ecclesiæ catholicæ Patronus ac Cœlitum Primas. Perperam igitur argumentari mihi videntur, qui ad auctoritatem duntaxat antiquorum theologorum adpellant, quasi nihil de s. Josepho notitia vel cultus increvisset.

Atque pariter ego, quod sentio fatear, mirari aut capere non satis possum, quo pacto quidam hodie scriptores, hinc quidem profiteantur s. Josephi theologiam ex duplici titulo *patris* ac *sponsi* esse ducendam, inde vero negent dignitatem hos duos titulos consequentem esse supremam. Statim namque ac ipsi, præter traditionem explicitam, ratiocinari intendunt ex iis quæ *connaturaliter* hisce titulis continentur, necesse est ut ea producant quantum id exigere connaturalem ordinem sana ratio demonstrabit. Concordes utique in eo sumus, quod debeamus excellentiam s. Josephi ex titulo patris ac sponsi dimetiri ; in hoc vero dissentimus, quod ipsis duplex ille titulus nihil speciale præ se ferre videatur.

Equidem haud polemice, sed ea quæ me decet modestia, ostendere conabor titulum Patris Christi et Sponsi Deiparæ, multiplici ex capite, excellentiam arguere et affinitatem ad Deum, præ omni alia, post Bmæ Mariæ affinitatem et excellentiam, absolute supremam, immo ab omni alia specifice diversam. Quod si præstitero, cultum summæ duliæ vel *Protoduliæ* s. Josepho adscribi posse ac debere nemo unus inficias ibit.

Hic modus dicendi, *summæ duliæ*, vel *Protoduliæ*, meus non est ; priorem tercentis ab annis usurpavit Cornelius a Lapide, ac plures post eum theologi (1) ; posteriorem mihi suggessit quidam illustris

gationes, vix credibile est. Has qui semel audierit, jam *a priori*, quidquid de s. Josepho dicitur aliquatenus novum, rejicit, indignumque qualibet attentione autumat. — Verum ex eo quod fraude et adulteratione quidam mercatores abutantur, non inde merces omnes sunt rejiciendæ.

(1) « Una ergo in terris dignissima, imo cœlestis et divina erat familia, in qua Paterfamilias, ideoque præses et rector, erat Joseph, Materfamilias Beata Virgo, Filius vero Christus. In hac igitur erant tres summæ et excellentissimæ totius orbis personæ : prima Christus, utpote Deus et homo, secunda Virgo Deipara, quasi mater naturalis, tertia Joseph, quasi pater Christi matrimonialis. Hac de causa Christo debetur

e Germania Episcopus, ut unico vocabulo, simili vocabulo hyperduliæ jam in Ecclesia recepto, res aptius diceretur. Sit igitur cultus *summæ duliæ*, sit cultus *Protoduliæ*, parum refert, quanquam hoc ultimum magis placeat ; tota quæstio in eo versatur : an Beatus Josephus dignus sit necne, qui hoc cultu in Ecclesia publico concelebretur.

Dignus est. Id ego duplici via seu methodo aggredior comprobare : 1° Ex documentis ecclesiasticis ; 2° Ex sacræ theologiæ fontibus. In prima *parte* quattuor potissimum afferam documenta ; in altera, in duas sectiones divisa, de dignitate et de sanctitate tractabo.

Sed imprimis unum observatum velim. Cultu *Protoduliæ* non postulatur, ut multiplicentur « actus subjectionis » erga s. Josephum, sed, ut agnoscatur ejusdem vera ac propria excellentia. Si excipias ejus invocationem in Missa — quæ ab innumeris sacerdotibus et Episcopis hodie desideratur, — omnigena jam significatio honoris a populis christianis Beato Patriarchæ defertur ; sed hæc tanta honoris significatio videtur *objecto formali* carere. Illud objectum formale, i.e. *agnita ejus excellentia*, ut cultui s. Josephi publico addatur, postulamus.

At enim, si quid incompositum, si quid hians, aut etiam forte longiusculum, minus placuerit, det mihi, quæso, Lector benevolus :

cultus adorationis et latriæ, Beatæ Virgini hyperduliæ, Josepho summæ duliæ. » (In I Matth.)

Emus Gotti : « Sanctum Josephum colendum esse cultu quidem minori quam Christum, qui latriæ cultu colendus est, et Mariam, cui hyperduliæ cultus debetur, sed summo duliæ cultu lubens annuo, quia, cum cultus sit testificatio honoris et excellentiæ, excellentia Joseph, infra Christi excellentiam et Mariæ, videtur summa. » (Verit. Rel. Christ., 1, 4, c. 4, § 7, n. 88).

Uti paullo superius dicebatur, B. Josephus posset cultu *hyperduliæ relativæ* honestari, utpote qui supra omnes, post Deiparam, excellit ; verum neque ipsi, propter rationes ibi factas, debet dictio isthæc aptari. Attamen, quum ejus excellentia una omnibus aliis emineat, atque etiam sit alterius speciei, convenit omnino ut dictione speciali ejus cultus diffiniatur, ac ita quidem, ut appareat inferior esse cultui Bmæ Virgini debito, sed superior cultui aliis sanctis concesso. Verbulum *Protoduliæ* hoc utrumque apprime bene exprimit, quippe quod significat *primum* ante omnes sanctos ac *specialitèr* colendum, post Dei Genitricem Mariam.

isthæc aliis curis distentus scribebam, non solis doctis viris, quibus satius fuisset in paucas paginas rem totam constringere, sed etiam sacræ theologiæ tyronibus, ut tuto possint de s. Josepho ac amplissime prædicare.

Hoc unum opto, ut adversarii, si qui forte fuerint, theses nostras, omni seposito præjudicio, legere dignentur, non unum aut alterum argumentum excutientes, sed omnia simul, aut saltem præcipua considerantes. Atque, si pergant conclusioni generali de præstantia s. Josephi adversari, supplico ut velint objectiones suas litteris privatis proponere, si forte illis pro modulo faciam satis. Quum primo edidissem libellum meum « De cultu S. Josephi amplificando », desideratissimus Cardinalis Svampa, tunc Episcopus Foroloviensis, multas et graves objectiones mihi proponi curavit ; ego, ab aliquo illustrissimo Episcopo adjutus, has omnes solvere conatus sum, atque, Deo dante, eo felici exitu, ut rescripserit Rmus objiciens : « se, ex adversario, commutatum fuisse in ferventem S. Josephi apostolum ». Sed nemo nescit Emm Cardinalem Svampa ingenii acumine et excellenti doctrina paucos suppares habuisse. Si igitur vir tantæ dignitatis et scientiæ objectiones proponere dignatus est, spero fore ut et suas proponant qui forte mihi non consenserint : faxit Deus ut eumdem felicem exitum consequamur.

PETITIO PRIOR

Ut, quemadmodum Beatus Josephus, ceu pater Christi, *tanto melior creaturis omnibus effectus fuit, quanto differentius prae illis nomen haereditavit,* sic ipsimet, per sacrorum Rituum Congregationis decretum, *protoduliae* cultus in Ecclesia catholica atque in s. Liturgia, post Beatam Dei Genitricem, præ omnibus Cœlitibus, in posterum tribuatur.

PARS PRIMA

DOCUMENTA ECCLESIASTICA

I

PRIMUM DOCUMENTUM

Quod primum se nobis prodit documentum illudque magnificum, est *Postulatio*, cui, anno 1870, quadraginta pene (38 ex 42 sedentibus in Concilio Vaticano) Emi Patres Purpurati, necnon et viginti supra bis centum, sive Episcopi, sive Archiepiscopi, nomen subscripserunt.

« Ex quo Œcumenicum Concilium Vaticanum à SS. D. N. Pio Pp. IX fuit feliciter coactum, ait cl. Marchesi, e Congreg. Missionis, idemque SS. Rituum Congregationis consultor (1), quam-

(1) « Sacra Rituum congregatione. — Urbis et orbis — amplificationis cultus sancti Josephi Beatæ Mariæ Virginis sponsi. — Instantibus quamplurimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ecclesiarum cathedralium capitulis, utriusque cleri presbyteris atque innumeris Christifidelibus. — Votum ex officio Aloysii Marchesi, ejusdem S. C. Consultoris. — Romæ. Typis S. C. de Propaganda Fide, 1870, p. 178 ».

Præstantissimus Aloysius Marchesi, e Congregatione Missionis, quem *Civiltà Cattolica* (febr. 1890) dicit rei liturgicæ in paucis Romæ peritum, antequam a s. Rituum Congregatione, ut votum ex officio ederet, vocaretur, *Postulato*, ipso fatente, plane adversabatur ; sed postea, diuturno ac serio examine præmisso, ita viritatis evidentia et vi immutatus est, ut idem *Postulatum* validiorem non invenerit patronum ac propugnatorem. Nec dubium quin aliquando fuisset admissum, si, sic disponente Deo, maturius præclarus vir e vivis non cessisset.

plurimi Concilii Patres nova unanimi consensu edidere postulata eidem sacrosanctæ Synodo porrigenda, ad eximiam Beati Josephi cultus amplificationem consequendam. Quoniam vero inter hujusmodi postulata alterum reperitur, in quo sacrorum Antistites a Vaticana Synodo suppliciter petunt, ut eidem s. Josepho summi tribuantur honores in sacra Liturgia, per sacrorum Rituum Congregationem, *postulatum* ipsum hic referre necessarium puto. Est autem sequens...

UT DEBITI HONORES

SANCTO JOSEPHO

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS SPONSO

A CONCILIO ŒCUMENICO VATICANO

IN SACRA LITURGIA DECERNANTUR

POSTULATUM

Beatum Josephum, singulari Dei providentia, præ cæteris creaturis, electum fuisse, ut Deiparæ Virginis sponsus et Verbi Incarnati, non generatione quidem, sed charitate, adoptione, ac matrimonii jure, pater esse mereretur, nemo unus ignorat. Adeo ut, nedum in sacris Evangeliis atque ab ipsamet Beatissima Virgine, illum Christi patrem passim nuncupari (1), sed et Dominum Nostrum Jesum Christum, in diebus carnis suæ, ei tanquam patri humiliter subesse dignatum, legimus (2).

(1) *Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo,* etc., Luc, II, 27. — *Et erat pater ejus et Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. Ibid.*, ver. 33. — *Ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem. Ibid.*, ver. 41. — *Cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem et non cognoverunt parentes ejus. Ibid.*, ver. 43. — *Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Ibid.*, ver. 48.

(2) *Descendit (Jesus) cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis.* Luc II, 51.

Infrascripti sacrorum Antistites, hæc serio perpendentes, simulque probe noscentes magnum diu in orbe exardescere desiderium ut sancti Joseph publicus cultus, quantum par est, augeatur, enixis precibus orant atque obtestantur, ut Sacrosancta Œcumenica Synodus Vaticana, tot tantisque votis inclinata, pro sua auctoritate solemniter decernat :

1° Ut, quemadmodum Beatus Joseph, ceu Pater Christi, *tanto melior creaturis omnibus effectus fuit, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit* (1), sic ipsimet, per sacrorum Rituum Congregationem, publicus duliæ cultus in Ecclesia Catholica atque in sacra Liturgia, post Beatam Dei Genitricem, præ omnibus Cœlitibus, in posterum tribuatur ;

2° Ut idem sanctus Joseph, cui sacræ Familiæ tutela a Deo jam credita fuit, universæ Ecclesiæ Primarius, post Beatissimam Virginem, Patronus habeatur.

Huic postulationis formulæ subscripserunt *

EX AMPLISSIMO

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ

Purpuratorum Patrum Senatu

† C. Card. Patrizi Ep. Portuen. et S. Rufinæ,
† Ferdinandus Card. Donnet, Archiep. Burdigalensis.
† Cosm. Card. Corsi Archiep. Pisanus.
† Ludovicus Card. De La Listra Archiep. Hispalensis.
† Paulus Card. Cullen Archiep. Dublinensis, Primas Hiberniæ.
† C. A. Card. Morichini Archiep. Ep. Æsinus.
† A. B. Card. Antonucci Archiep. Ep. Anconitanus.
† A. Card. Vannicelli Archiep. Ferrariensis.
† D. Card. Carafa Archiep. Beneventanus.
† J. A. Card. Trevisanato Patriarcha Venetiarum.
Petrus Card. De Silvestri.
Joannes Baptista Card. Pitra.

(1) Hebr, I, 4.
* Nomina ponuntur ordine quo exstant in autographo.

† Fabius Card. Asquinius.
† Joseph Card. Milesi Episc. Sabinensis.
† Gustavus Card. D'Hoenlohe.
Eduardus Card. Borromeo.
Angelus Card. Quaglia.
† A. Card. Amat Episc. Prænestinus.
Raphael Card. Monaco.
† Joseph Card. Berardi.
† Fr. Philippus M. Card. Guidi Archiep. Bononiensis.
† Xystus Card. Riario Sforza Archiep. Neapolitanus.
† Henricus Card. Orfei Archiep. Ravennatensis.
† Joannes Ignatius Card. Moreno Archiep. Vallisoletanus.
Prosper Card. Caterini.
† Joseph R. Card. Rauscher Archiep. Viennensis.
Alexander Card. Barnabo.
Hannibal Card. Capalti.
† Phil. Cardinal De Angelis Archiep. Firmanus.
Aloysius Card. Bilio.
† Dominicus Card. Consolini.
† Antoninus Card. De Luca
† Camillus Card. Di Pietro Episc. Albanen.
Antonius M. Card. Panebianco M. P.
† Laurentius Card. Barili.
Jacobus Card. Antonelli.
Lucianus Card. Bonaparte.
† Joachim Card. Pecci Archiep. Ep. Perusinus.

EX REVERENDISSIMIS

Catholicæ Ecclesiæ

Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis

† Antonius Archiepiscopus Primas Salernitan. et Acernen.
† Petrus Archiep. Rossanen.
† Franciscus Xaverius Archiep. Surretin.
† Joseph Benedictus Dusmet Archiep. Catanen.
† Joseph Maria Severa Episc. Interamnensis.

† Raphael Episc. Albinganensis.
† Petrus Maria Episc. Casalensis.
† Laurentius Episc. Vintimiliensis.
† Laurentius Episc. Pineroliensis.
† Philippus Archiep. Caietanus.
† Eleonorus Episc. Montis Alti.
† Philippus Episc. Forosemproniensis.
† Carolus Episc. Regiensis in Æmilia.
† Joannes Baptista Episc. Aquipendii.
† Augustus Maria Martin Episc. Natchitoches.
† Petrus Paulus Episc. Foroloviensis.
† Antonius Episc. Placentinus.
† Michael Episc. Pittsburgensis.
† Januarius M. Episc. Ang. et Turs.
† Joannes Baptista Joseph Episc. Atrebatensis.
† Thomas Episcopus Recinetensis et Lauretanus.
† Raphael Episc. Squillacencis.
† Petrus Maria Episc. Colophoniensis etc.
† Carolus Archiep. Antibarensis et Scodrensis.
† Joseph Episcop. S. Angeli Lombar. et Bisacien.
† Joseph Audo Patriarcha Babylon. Chaldæorum.
† Georgius Ebedyesus Khayatt Archiep. Amadiens. Chaldæor.
† Abed-Elmelsith Timotheus Attar Archiep. Amidensis seu Diarbessirensis.
† Joannes Elias Mellius Archiep. Akren et Zibar.
† Vincentius Spaccapietra Archiep. Smyrnensis.
Vic. Ap. Asiæ min.
† Ed. Francisc. Guierry Episc. Danabensis, Vic. Apost. Tché-Kiang.
† Aloysius Episc. Oritanus.
† Joseph Episc. Thyatirensis, Vic. Cap. Venafren.
† Joannes Hilarius Episcop. Emeritensis de Macaraibo.
† Valerius Episc. Gallipolitanus.
† Raphael de Ambrosio Archiepiscopus Dyrrachiensis.
† Fr. Laurentius Bergeretti Archiep. Naxiensis.
† Fr. Fidelis Abbati Episc. Sanctorinensis.
† Fr. Joseph Novella Episc. Patarensis.

† Fr. Eustachius Zanoli Episc. Eleutheropolitanus.
† Matah Flavian Episc. Jaziren, Syrorum,
† Gabriel Capaccio Episc. Mellipotamensis.
† Fr. Aloysius Moccajatta Episc. Zenopolitanus.
† Franciscus Episc. Laquedoniensis.
† Franciscus Xaverius Episc. Castrimaris.
† Marianus Archiep. Reginensis.
† Petrus Tilkian Episc. Brusensis Armenor.
† Petrus Apelian Episc. Germaniciensis Armenor.
† Antonius Halagian Episc. Artvinensis Armenor.
† Joannes Ghurchian Episc. Trabisonensis.
† Joannes Hagian Archiep. Cæsareensis in Cappadocia.
† Melchior Nazarian Arch. Armenus Mardensis.
† Leo Korkoruni Archiep. Melitensis Armen. min.
† Stephanus Israelian Episc. Karputhensis Armen.
† Aloysius Maria Episc. Montis Politiani.
† Fr. Aloysius Archiep. Irenopolitanus.
† Fr. Amatus Pagnucci Epis. Agathonicencis.
† Fr. Angelus Kraljevic Episc. Metellopolitanus.
† Fr. Petrus Severini Episc. Sappensis in Albania.
† Fr. Eligius Cosi Epsic, Prienensis.
† Fr. Julius Archiep. Lucensis.
† Fr. Bernardinus Episc. Terracin., Setin. et Privern.
† D. Episcopus Dianensis.
† Marcus Episcop. Spalat. et Macaren. olim Salonit.
† Ludovic. Maigret Epis. Arathen., Vic. Apost. Insul. Sandwich.
† Ildephonsus-Renatus Dordillon Epis.
Cambysopolitanus, Vic. Apost. Insul. Marchionum.
† Vincentius Ruben. et Bituntin. Episcopus.
† Aloysius Episcop. Thelesin, seu Cerretan.
† Petrus Domnius Maupas Archiepiscopus.
Metropol. Iadrensis in Dalmatia.
† Eugenius Lachat Episcopus Basileensis in Helvetia.
† Fr. Amandus de Charbonnel Epis. Sozopolitanus.
† Fr. C. Archiep. Episc. Melitensis.
† J. Baptista Episcopus Savonen. Naulen.
† Joseph Epis. Lunen. Sarzanen. et Brugnaten.

† Benvenutus Archiep. Granatensis, etiam desiderat et humiliter petit, ut in omnibus festis Beatissimæ Virginis Mariæ, immediate post orationem diei, Sancti Joseph sui sponsi commemoratio fiat, et vicissim in festis sancti Joseph de ss. sua sponsa eadem commemoratio fiat, ut agitur nunc cum sanctis Apostolis Petro et Paulo, in eorumdem respectivis festivitatibus. Arctissime conjuncti fuerunt semper, in Christo Jesu, Maria et Joseph : conjuncti appareant semper in Ecclesia Dei, et quos Deus conjunxit homo non separet.

† Michael Episcopus Conchensis, in Hispania.

† Antoninus Episcopus Giennensis, in Hispania.

† Franscicus Archiep. Barensis, juxta mentem Archiep. Granat.

† C. M. Depommier Episc. Crysopolit., Vic. Apost.

† Sebastianus Episcopus S. Petri Flum. Grand. Australis.

† Ludovicus Faurie Epsicopus Apolloniensis, Vic. Ap. Kouy-Tcheou apud Sinas. Exoptat ut honores sancto Josepho amplientur, quantum per sacram Liturgiam licebit.

Ad normam Rmi Faurie ut supra, et ut festum S. Joseph fiat et declaretur primæ classis.

† Emmanuel Verroles Episc. Columbicensis.

† Hyacinthus Luzi Episc. Narniensis et Adm. Apost. Mandelens.

† Joseph Archiep. Edessenus.

† Nicolaus Episc. Amerinus.

† Hyacinthus M. Episc. Neocastrensis.

† Jacobus Episcop. Brisbanensis.

† Petrus Episc. Anicien.

† Petrus Dufal Episc. Delconensis, Vic. Ap. Brugalæ Orientalis.

† Joannes Episcopus Tudertinus.

† Carolus Episcopus Astensis.

† Stephanus Episcopus Bethlemensis.

† Adrianus Languillat Episc. Sergiopolit., Vic. Ap. Nank.

† Joannes Emmanuel Episcopus de Serena.

† Franciscus a Paula Episcop. Ancudien.

† Eduardus Dubar Episcop. Canathen., Vic. Ap. Tchelÿ Mer, Orient.

Huic Postulato libenter subscribit infrascriptus Episcopus, et optaret ut in Litaniis Sanctorum, post Matrem Dei, bis invocaretur S. Joseph, dicendo : *Sancte Joseph, Sponse B. Mariæ*

Virginis, ora etc. S. Joseph, Pater putative Jesu, ora etc. Optaret etiam ut festum S. Joseph transferatur ad unam ex dominicis Mensis Januarii, inter dominicam SS. Nominis Jesu et festum Purificationis B. Mariæ Virginis, in quo casu festum Patrocinii B. Joseph collocari poterit die 19 Mensis Martii.

† Joseph Episcopus Auriensis.
† Fr. Joan. Thomas Episc. Montis Regalis in Pedemonte.
† Petrus Episcopus Guastallensis.
† Antonius Episcopus Urbanien. et S. Angeli in Vado.
† Ludovicus Elloy Episc. Tipasitanus, Coadjut. Oceaniæ Central.
† Fr. Elias Antonius Episcopus Asculanus.
† Constantinus Episcopus Gerundensis.
† Fr. Joachim Episcopus Salamantinus et Adm. Apost. Civitat.
† Fr. Salvator Angelus Maria Episcopus Galtelin. Noren.
† Victor Aug. Archiep. Mechlin., Primas Belgii.
† Carolus Episc. Cenomanensis.
† L. F. La Flèche Episc. Trifluvianensis in Canada.
† Franciscus Episcopus Tarantasiensis.
† Laurentius Episcopus Salutiarum.
† Eugenius Episcopus Albæ Pompeiensis.
† N. Josephus Episc. Petrocorensis et Sar.
† Vincentius Episc. Imolensis.
† Ludovicus Ed. Episcopus Pictaviensis.
† J. Hyppolitus Archiepiscopus Turonensis.
† Miecislaus Archiep. Primas Gnesnen. et Posnan.
† Julius Episcopus Nepesinus et Sutrinus.
† Franciscus Æmilius Archiep. Mutinensis et Abbas Nonantulæ.
† Henricus Eduardus Archiep. Westmonaster.
† Andreas Ignatius Archiep. Ultraiectensis.
† Gerardus Petrus Episc. Harlemen.
† Spiridion Archiep. Corcyrensis.
† Ignatius Episc. Pharanens.
† Antonius Episc. Lamacens.
† Josephus Episc. Capitis Viridis.
† Thaddæus Amat. Episc. Montereyensis et Angelorum.
† Joannes Marcellus Episcopus Olenen. et Vic. Apost. Abyssin.

† Innocentius Episc. Eugubinus.
† Joseph Maria Episc. Faliscodunens.
† R. Fr. Archiep. Cameracensis.
† Caietanus Archiep. Episc. Melphicti, Juvenacii et Tertilii.
† Joseph Archiep. Tranen. et Nazarenus.
† Fr. Franc. Xav. d'Ambrosio Episc. Muran.
† Bartholomœus d'Avanzo Episc. Calven. ac Theanen.
† Fr. Anselmus Fauli Episc. Grossetanus.
† Fr. Raphael Corrali Episc. Balneoregiens.
† Josephus Maria Episc. Canariensis.
† Conceptus Episc. Lystrensis.
† Vincentius Gasser Episc. Brixinen.
† Joannes Zwerger Episc. Secoviensis (Gratz).
† Ludovicus Maria Epivent Episcopus Aturen. et Aquen.
† C. A. Archiep. Bituricen.
† Joseph M. Episc. Sinopensis.
† Franciscus Episc. Carcassonensis.
† Antonius M. Episcopus Fabrianensis et Mathelicensis.
† Vincentius Archiep. Sypontinus.
† Raphael Bachetoni Episc. Nursinus.
† Gesualdus Vitali Episc. Ferentin. in Hernicis.
† Joannes Cameron Episc. Titopolitanus.
† Jacobus Bernardi Episc. Massanus.
† Joseph Henricus Episc. Foroiul. ac Tolonensis.
† M. Julianus Episc. Diniensis.
† Leo Meurin Episc. Ascalonensis.
† Stephanus Merilley Episcopus Lausanen. et Geneven.
† Florianus Archiep. Tolosanus.
† Æmilius Episc. Andegavensis
† Theodorus Episc. Leodiensis.
† Fr. Aloysius de Agatio Epis. Triventinus.
† Fr. Aloysius Filippi Epis. Aquilanus.
† Leonardus Mellano Archiep. Nicomediensis, Vic. Apost. Malabariæ Centralis.
† Fr. Maria Ephrem Garellon Episc. Nemesinus, Vic. Apost.
† R. Popoff Epis, Administr. Apost. Bulgarorum.
† Benjaminus Archiep. Græc. Neapolis. Syrorum (Naplusa).

† Andreas Casarola Archiep. Utinensis.
† Carolus Episc. Tiburtinus.
† Petrus Josephus DE PREUX Episcopus Sedunensis (Sion in Helvetia).
† Conradus MARTIN Episc. Paderbornénsis.
† Leonardus Episc. Asculi. Satriani et Ceridiolæ.
† Jo. Petrus Episc. Bugellensis.
† Joannes Baptista Episc. Ecclesiensis.
† Caietanus Episc. Alatrinus.
† Fr. Joseph Episc. Senogalliensis.
† Jo. Joseph Episc. Andriensis.
† Joseph Episc. Oppiden.
† P. I. Michael Angelus Episc. Pacten.
† Gasparus Episc. Antipatren. Auxiliar. Curien.
† Rudesindus Episc. Portus. Victoriæ.
† Franciscus Zunni Casula Episcopus Usellensis et Terralbensis.
† Bernardus Archiep. de Guatimala.
† Aloysius Episc. Calatinus.
† Andreas Episc. Cuneensis.
† Aloysius Episc. Feretranus.
† Joannes Episc. Ptolemaidensis.
† Stephanus Archiep. Philippensis Græcorum.
† Fr. Thomas Michael SALZANO Episc. Thanensis.
† Nicolaus POWER Episcopus Sareptan. Coadjutor Laonensis.
† Georgius BUTLEL Episc. Limericencis.
† Fr. Thomas Episc. Trojanus.
† Guillelmus Episc. olim Terracinæ.
† Joannes Episc. Nicopolitanus.
† Eduardus HURMUZ Archiepiscopus Armenus Siracensis.
† Fr. Joannes Baptista SICILIANI Episc. Caput. Aquen et Vallen.
† Fr. Joseph SALANDARI Episc. Marcopolitanus.
† J. Antonius COLLI Episcopus Alexandrinus (Statiellorum).
† Fr. Caietanus Episc. Almiræ.
† Salvator Nobili VITELLESCHI Archiep. Episc. Auximanus et Cingulanus.
† Rogerius ANTICI MATTEI Patriarcha Constantinopolitanus.
† Alexander FRANCHI Archiep. Thessalonicensis.

† Jacobus Maria Joseph Episc. olim Luxonensis.
† Antonius Rossi-Vacari Archiep. Colossensis.
† Petrus de Villanova Castellaci Archiep. Petræ.
† Joseph Archiep. Corinth.
† Franciscus Xaverius de Mérode Archiep. Melitenen.
† Philippus Archiep. Patracen.
† Joseph M. Episc. Synopensis.
† Alexander Asinarius Sancti Marciani Archiep. Ephesinus.
† Fr. Franciscus Marinelli Episc. Porphiriensis.
† N. Josephus Perché Archiep. Neo-Aurelianensis.
† Clemens Bahus Patriarcha Antioch. Melchit.
† Stephanus Stephanopoli Archiep. Philippens. Græcor.
† Fr. Paulus Tosi Episc. Rhodiopolitan. Vicar. Apost. Patræ.
† Hilarion Sillani Episc. Callinicen. Vicar. Apost. Columbi-Ceylani.
† Pelagius A. Archiep. Mexicanus.
† Hyacinthus Episc. Megarensis Vicar. Apost. Montevidei.

Huic postulato lubentissime subscribo, et snbscribo pariter iis quæ Rmi Archiepiscopus Granatensis et Episcopus Aurien-sis addiderunt ; ita tamen, ut ante omnes Sanctos et Angelos in Litaniis nominetur. Post invocationes Bmæ Mariæ Virgi-nis, peto ut dicatur : *Sancte Joseph, Ora pro nobis. Sponse Beatæ Mariæ Virginis, Ora pro nobis, Almi Parentes Christi, Orate pro nobis.* Et circa festum sancti Josephi vellem ut ad Dominicam tertiam post Pascha transferatur, festumque Pa-trocinii ejusdem, quod dicta die celebratur, statuatur in die 19 martii, ne dies hæc, fidelibus adeo cara, sine festo Sancti Joseph remaneat.

† Josephus Episc. Urgellensis.
† Fr. Joannes S. de Jesu Episc. de Comayagua.
† Petrus Episc. S. Sebastiani Fluminis Januarii.

Addit Aloysius Marchesi : — « Nemo autem miretur, si, inter eos qui huic Postulationi subscripserunt, vel plurium perillus-trium ac pientissimorum Antistitum desiderentur nomina, vel pauciores, respective, enumerentur Episcopi, quam Sanctæ Ro-manæ Ecclesiæ Patres Cardinales. Ratio est, quia, quæ hic

habentur subscriptiones, omnes vel fere ante dimidium mensis julii, labentis hujus anni 1870, Romæ fuere collectæ. Eo nimirum tempore, quo, cum maximi in Urbe æstivi calores ferverent, Sacrosancti Œcumenici Concilii Vaticani Patres gravissimis premebantur negotiis. Unde Postulationis hujusce Promotores, probe scientes de Postulatis nonnisi novissimo loco in Sacra Synodo pertractandum fore, simulque pro certo habentes Œcumenicam ipsam Synodum longiori adhuc tempore duraturam, haud nimis properandum oportere censuerunt. Hinc factum est, ut violenta Sacri Concilii abruptione, ex sacrilego hujus almæ Urbis aggressu, superveniente, quamplurimi Sacrorum Antistites, qui huic Postulationi nomen suum apponere anhelabant sæpiusque quæsierant, piissimi voti compotes fieri minime potuerint.

« Heic nihilominus, prout omnibus patet, habentur Episcopi, non modo ex Italiæ provinciis, sed et plurimi ex Galliis, ex Hispania, ex Austriaca ditione, ex Lusitaniæ regno, ex Belgio et Hollandia, ex Anglia et Hibernia, ex Polonia et regno Borussiæ, ex provinciis Helvetiæ, ex ditione Græca et Ottomana, ex duabus Americis, ex Asia majori et minori, ex Insulis Oceani, ex Ægypto et Abissinia, ex imperio Sinensi etc., ex variis etiam catholicæ Ecclesiæ ritibus, Latino, Græco, Armeno, Chaldæo, Syriaco etc., uno verbo : ex omnibus vere gentibus, et tribubus et populis, et linguis (1), ex omni natione quæ sub cœlo est (2) ».

« Et mirum sane, prosequitur Marchesi, quomodo in hac adeo gravi atque solemni tot catholicæ Ecclesiæ Procerum postulatione : 1° Vera ac proprie dicta Beati Josephi erga Christum paternitas, sive *adoptiva*, sive potissimum *matrimonialis* apertissime proclametur ; 2° Ceu necessaria ac logica paternitatis hujusmodi illatio, postuletur : Ut Beato Josepho *per sacrorum Rituum Congregationem publicus duliæ cultus in Ecclesia catholica atque in s. Liturgia, post Beatam Dei Genitricem, præ omnibus cœlitibus, in posterum tribuatur* ; quod idem esse, ac cultum *summæ duliæ* Beato Josepho adjudicare, nemo non videt ; 3°

(1) Apoc., VII, 9.
(2) Act., II, 5.

Cultus hic *ummæ duliæ*, tanquam Beato Josepho omnino debitus, petatur: *Ut debiti honores Sancto Josepho... decernantur.*, 4° Demum adseveranter affirment tot Sacrorum Antistites, sese *probe noscere magnum diu in orbe exardescedere desiderium, ut S. Josephi publicus cultus, quantum par est, augeatur* » (*l. c. p. 180*).

Revera impossibile est attendere hanc solemnem Patrum Vaticanorum manifestationem, quin affirmetur toti fere Ecclesiæ docenti fuisse in votis, ut publice cultus summæ duliæ sancto Josepho dedicaretur. Supernaturaliter, atque etiam naturaliter, impossible videtur errorem invasisse tot magnorum ac piorum virorum mentes, eo præcise tempore, quo sub speciali Spiritus sancti influxu movebantur. Adde, sin minus omnes, at certe plures, super re adeo gravi, a suis theologis postulasse et accepisse votum.

Sed quæret forte aliquis quomodo factum sit ut, tot Cardinalibus, Archiepiscopis et Episcopis cultum *summæ duliæ* S. Josepho postulantibus, idem statim non fuerit concessus.

Jam enim præter specialem Dei providentiam, cujus inscrutabilia simul et sapientissima sunt consilia, plures negotii hujus *suspensionis* intercessere causæ. Postulatum illud, haud secus ac alia plura, in circumstantias prorsus adversas incidit. Tempus erat, quo magnas inter duas nationes flagrabat teterrimum bellum, et, hac occasione impie arrepta, invasor sacrilegus Pontificem Romanum regno et Urbe spoliabat, solo illi relicto carcere Vaticano. Sed et contra Ecclesiam rebellabant neo hæretici, qui magnam auctoritati infallibili cladem minabantur, dum adsurgebat in Germania tyrannus Ecclesiæ ferox. Tot rebus sus deque perturbatis et adversis, non poterant mentes non longe a postulato de s. Josepho fieri. Sed ipse Aloysius Marchesi, sacræ Congregationis Consultor, ac in primis auditus, qui votum *Postulato* multis de rationibus favorabile dederat, e vivis inter ea cessit. Quum igitur mentes essent a s. Josepho tantisper avocatæ, nec ullus jam esset, qui *Postulatum* in s. Congregatione tueretur, tota res consopita mansit, nullo tamen edito in contrarium decreto.

At vero, quindecim post annos, quum *casu* mihi in manus illud idem *Postulatum* venisset, cogitavi, Deo, ni fallor, impellente, de ejusdem instauratione. Libellum, quo rationibus theologicis

fulciretur, edidi adque Episcopos fere nongentos, ritus Latini, misi, ut, si placeret, nomen proprium *Postulato* subscribere dignarentur. Jamvero, nonobstante transmissionis difficultate vel infidelitate, ultra sexcentas Episcoporum et Cardinalium subscriptiones remissæ sunt. Priusquam harum subscriptionum *Elenchum* subjiciam, alterum Vaticanum, breve quidem, sed magni momenti documentum prodidero.

Ignari forte *Postulati* supradicti — quod nondum subscribendum propositum fuerat, — aliud, suo suorumque nomine, condiderunt, sub die 9 martii, a. 1870, *quadraginta tres* diversorum Ordinum Præpositi Generales (omnes adstantes Concilio), quo postulabatur : « Ut sanctus Patriarcha Joseph, conciliari constitutione, universalis Ecclesiæ Patronus solemniter declararetur atque decerneretur ».

Ast, inter varia rationum momenta, quæ confirmandæ petitionis causa, subjiciebantur, hæc conclusio legitur : « Beatum vero Josephum Beatæ Mariæ semper Virginis sponsum, *inter omnes Cœlites*, eum esse qui, *præ cæteris*, totius Ecclesiæ Christi Protector *præcipuus* sit renuntiandus ab eaque magnos sibi vindicet honores, nemo certe inficias ire potest ».

Huic postulationi nomen suum suorumque Ordinum subscripsere superiores Generales omnes.

Quid porro hæc postulatio est, nisi affirmatio debiti s. Josepho cultus *summæ duliæ*? Inter omnes cœlites s. Josephus magnos sibi, præ cæteris, honores vindicat, dignusque est, præ cæteris, qui universalis Ecclesiæ Protector præcipuus renuntietur. Nonne hoc sonat cultum duliæ in Ecclesia supremum ? De quo quæso, angelo vel sancto hoc idem pronuntiari posset ?

Et certe, si qui sunt in Ecclesia sacræ theologiæ periti et Spiritus sancti « docibiles », nonne illi qui præsunt sacris Religiosorum Familiis ? Atqui, non modo affirmant s. Josephum, præ cœlitibus omnibus, magnis dignum honoribus, sed immo addunt id a nemine in dubium posse revocari, « nemo certe inficias ire potest ». Hæc fuit professio, pia quidem, sed cumprimis theologica, omnium Ordinum religiosorum Concilio Œcumenico adstantium.

Et jam venio ad *Postulatum*, quod humilis ego, a. 1887, subjiciebam Episcopis subsignandum.

II

ALTERUM DOCUMENTUM

POSTULATUM

« Una cum aliis Emis Cardinalibus ac Rmis Archiepiscopis et Episcopis, Infrascriptus postulat, ut Sanctitas Sua gloriosissimus Leo Pp. XIII, pro sua auctoritate, decernat :

1° Ut, quemadmodum Beatus Josephus, ceu Pater Christi, *tanto melior creaturis omnibus effectus fuit, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*, sic ipsimet per sacrorum Rituum Congregationis decretum *Protoduliæ* cultus, in Ecclesia catholica atque in s. Liturgia, post Beatam Dei Genitricem, præ omnibus Cœlitibus, in posterum tribuatur ;

2° Ut venerabile Josephi nomen, ceu supremi, post Dei Genitricem, Ecclesiæ catholicæ Patroni, in Missæ sacrificio, nempe in *Confiteor*, in orationibus, *Suscipe, sancta Trinitas, Communicantes* et *Libera nos*, post dulcissimum Mariæ nomen, invocetur ».

Huic *Postulato* nomen subscripserunt *

EX AMPLISSIMO

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ

Purpuratorum Patrum senatu (1)

Emus

† Domin. Card. Agostini Patriarcha Venetiarum

Iteratis postulationibus, pientissimæque tot illustrium Antistitum et Christifidelium ex omni prorsus ordine contentioni, ut

* Quum primum duas petitiones folio distincto misissem, re non satis intellecta, quindecim vel viginti Episcopi uni aut alteri duntaxat subscripserunt.

(1) Ad Emos Patres Purpuratos Romæ degentes *Postulatum* nec libellum meum misi, quo majore postea possent independentia de eodem judicium ferre.

sancto Josepho protoduliæ cultus ab Apostolica Sede decernatur, non modo, pro singulari, qua, vel ab ineunte ætate erga bb. Patriarcham veneratione et devotione affectus sum, libentissime adstipulor, sed et principem aliquem, post Deiparam, cultum, præ omnibus cœlitibus, Illum decere, quem præ omnibus in Ejusdem Deiparæ sponsum et D. N. Jesu Christi patrem nutritium totiusque sacræ Familiæ caput divina providentia elegit, arbitrari me fateor.

Firmissima porro animo meo sententia insidet fore ut fructuum proventus, tum in universam christianam civilemque Rempublicam, tum in singulos fideles, ex amplificato cultu Cœlitis istius, qui a fel. rec. Pio Pp. IX universalis Ecclesiæ Patronus dictus est, cumulatissime accedant.

Christiana siquidem plebs, hoc ipso optatissimo eventu, magis magisque in dies ad virtutes imitandas et validissimum ejusdem Patriarchæ patrocinium invocandum provocabitur.

† Dominicus Card. Agostini
Patriarcha Venetiarum.

EEmi

† Fr. de Paul. card. Benavides, Archiep. Cæsaraug.
† Joseph card. Callegari, Episc. Patav.
† Anton. card. Cascajares, Archiep. Vallisol.
† Salvator card. Cassanas, Episc. Urgell.
† P. J. Maria card. Celesia, Archiep. Panorm.
† Hector card. Coullié, Archiep, Lugdun.
† Iul. Flor. card. Desprez, Archiep. Tolos.
† Americ. card. Ferreira dos Santos, Archiep. Portugal
Casim. card. Gennari.
† Zelphir. card. Gonzalez (O. P.) Archiep. Hispal.
† Petr. Lamb. card. Goossens. Archiep. Mechlin.
† Joseph. card. Guarino, Archiep. Messan.
† Christ. Mar. card. Lavigerie, Archiep. Alger.
† Michael card. Logue, Archiep. Armagh.
† Amilcar. card. Malagola, Archiep. Ancon.
† Achill. card. Manara, Archiep. Firman.
† Henric. card. Manning, Archiep. Westminst.

EEmi

† Ægidius card. Mauri (O. P.) Archiep. Ferrar.
† Antol. card. Monescillo, Archiep. Valent.
† Joseph. Sebast. card. Neto (O. s. F.) Patriarch. Olyssip.
† Mich. card. Paya, Archiep. Toletan.
Ignat. card. Persico (O. Cap.)
† Aug. card. Riboldi, Archiep. Raven. (Pavia).
Gaetan. card. di Ruggero.
† Cyriac. card. Sancha y Hervaz, Archiep, Toletan.
† Bened. card. Sanz y Fores Archiep. Hispal.
† Joseph card. Sarto, Patriarch. Venetiar, hodie SS. D. N. Pius Pp. X (q. D. s.)
† Sylv. card. Sembratowicz, Archiep, Leopol. (Ruth).
† Domin. card. Svampa, Archiep. Bolon.
† Alex. card. Taschereau, Archiep. Quebec.
† Erbert card. Vaughan Archiep. Westminst.

EX REVERENDISSIMIS

Catholicæ Ecclesiæ

Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis

RR. DD. Archiepiscopi.

† Aguirre y Garcia (Min. Obs.), Burgens.
† Ahsechirlian, Alexandr. (Arm.).
† Altmayer (O. Pr.), Bagdad.
† d'Ambrosio Raph. (M. Ref.), Durazzo.
† Aneyros Frid., Bonæren.
† Arciga Ignat., Mechoacan.
† Ardin Petr., Senon.
† Bégin Ludov., Quebec.
† Bonetty Aug. (C. Miss.), Palmir. V., Patr. Constantinop.
† Bonfigli Gaudent., Cabass.
† Borgognoni Carol., Mutin.
† Bressi Sal., Hydrunt.
† Camilli Nic. Jos. (M. Conv.), Jassi.
† Carrano Fr. a Paul., Aquilan.
† Casanova Marian., S. Jacobi (Chili).
† Casanova Ric., Guatimal.

RRmi DD.

† Cilento Petr., Rossan.
† Cirino Joan., Anciren.
† Claessens Adam, Sirace.
† Cleary Jacob., Kington.
† Colgan Joseph., Madras.
† Combes Barthol., Carthag.
† Corrigan Mich. Ang., New-York.
† da Costa Petr. Ant., Damao et Crang.
† Costa Thom., Tarrac.
† Croke Thom., Cashel.
† David Joseph., Damas.
† De Dominicis Henr. Amalphit.
† Duhamel Theod,, Ottawa.
† Elder Guliel., Cincinnati.
† Emmanuelian Paul., Patr. Cæs. Ponti.
† Fonteneau Joan., Albien.
† De Freitas Ant. Jos., Brach.
† Gandi Alph., Pondichery.
† Giusti Joseph, Nisib.
† Giustiniani Joseph, Sorrent.
† Gomez Salazar Emm., Burgen.
† Grace Thom. (O. Pr.), Siunien.
† Grasselli Ant. (M. Conv.), Coloss.
† Gross Gulielm., Oregon City.
† Guarnieri La Vecchia Bened., Syracus.
† Guerrini Casch., Scutari.
† Guidelli Guidi I. M., Myra.
† Herrera Restrepo Sebast., Valentin.
† Imparati Fr. Mar., Acheront. et Mather.
† Izakowiez Isaac, Leopold. (Arm.)
† Iorio Petr. Alph., Tarentin.
† Jagopi M. A. (O. Cap.), Agren.
† Kain Joseph, S. Ludovic.
† Katter Frider., Milwauk.
† Loschirico Jesuald. (O. Cap.), Aceren.
† de Lavastida Pelag. Mexic.

RRmi DD.

† Mac Donnald Eneas, S. Andr. (Edimburg.)
† Mac Evilly Joan., Tuam.
† Magnasco Salvat., Genuens.
† Majorsini Fr., Amalph.
† Mazzella Henric., Bari.
† Melizan Theoph. Colombo,
† Mellano Leo, Verapoly.
† Mendez Ant., Meliten.
† Menini Rob. (O. Cap. Gangra (Sofia).
† de Merino Ferd., S. Dominici.
† Meurin Leo (S. J.), S. Ludovici.
† Milinovic Sim. (M. Obs.) Antivari,
† Moreno y Mason Joseph, Granat.
† Murphi Dan., Hobart.
† Niola Fr. Cajac,
† Di Nonno Raph. (C. SS. Redempt.) Acerens.
† Nozaleda Bern. (O. Pr.). Manil.
† Nunez Aug., Eborac.
† O Brien.Corn., Halifax.
† Ordonez Jos. Ignat., Quitens.
† Osouf Pet. (M. E. P.) Tokio.
† Pace Petr. Malt et Rhod.
† Palmieri Salv. (C. Pr. Sang.). Rossan.
† Pampirio Laur., Vercell.
† Paul Telesph. (S. J.) Bogotens.
† Pereira Joseph, Eborac.
† Petit Fulbert, Bisunt.
† Petrarca Fr. Lancian.
† Rebello Cardoso, Lariss.
† Redwood Fr. Mar. Wellington.
† Reynaudi Domin. (O. Cap.), Stauropol.
† Riordan Patrit., S. Francisco.
† De Risio Alex., s. Severin.
† De Rossi Henr., Antioch. Pisid.
† Saenz de Urturi Fr. (M. Obs.), s. Jacobi (Cuba).
† Salzano Mich. (O. Pr.), Edessen.

RRmi DD.

† Salpointe Joseph, Tomi.
† Da Silva Jerem. Theod., s. Salvador.
† Dos Santos Aloys., Calcide.
† Scarisbrick Gulielm., Cysic.
† Schellot Georg. Ign., Patr. Antioch, Syr.
† Snickers Pet. Mar., Ultraject.
† Sonnois Steph. Mar., Camerac.
† Sorgente Camil., Cosens.
† Spinola Marc., Hispal.
† Stadler Joseph, Urhbosna.
† Sorini Macar. Filipopol.
† Taché Alex. (C. M. I.), S. Bonifacii.
† Timoni Andr., Smirn.
† Tommassi Bened. Sienn.
† Uzcateguy Crisp., S. Jacobi (Venez.)
† Van den Bosch (O. Cap.), Agren.
† Velasco Ignat. (S. J.), S. Fe di Bogota.
† Vicenti Aug. Ant., Aquil.
† Walhs Joan., Toront.
† Walhs Guliel., Dublin.
† Williams Joan. Jos., Boston.
† Zini Cœlest., Sien.
† Zorn Aloys., Gradisc.
† Zunnui Casula Fr., Oristan.

EX REVERENDISSIMIS
Catholicæ Ecclesiæ
Episcopis

RRmi DD.

† Adessi Vincentius, Dianen
† Agostino Andr., Arian.
† Agosto Hipp., Nicopol.
† Aguilar Franc., Segorb.
† d'Alcocer Mart. S. Nominis Jesu.
† Alda Vinc., Oscen.
† d'Alessandro Gaet., Cefal.

RRmi DD.

† d'Albore Fr.. Monopol.
† Allen Collier (O. S. B.), Drusipar.
† de Alvarenga Ant., S. Ludovic (Bras.)
† Alves de Mariz Joseph, Brigant.
† d'Amour Car. Cujaba,
† Andrade Arsen., Riobamba.
† Andrzejewicz Ant., Philomel.
† Antonucci Greg., V. ap. Chensi.
† Anzer J. B., Telept.
† Apollonio Joseph, Tarvis.
† Araldi Gerard, Amat.
† Arrue Leand. Iaren.
† Augouard Phil., Sinide.
† Aznar Fr., Dertus.
† Baduel Fr. M., S. Flori.
† Bagshave Ed., Nottingham.
† Banci Ezech. (Min. Ref.), Halicarn.
† Balesta Th., Zamora.
† Bandi Hygin., Torton.
† Barberi Hyac. (O. Pr.), Nicastr.
† Bardou Joseph, Coimbator.
† Baron Thom., Leon. (Mexic.)
† Baretto Emm., Funchal.
† Barroso Souza Joseph, Imeria.
† Barthe J. M. (S. J.), Trichinopoly.
† Bartet Magl., Abder.
† Bartoli Ignat., Senigagl.
† Baner Fr., Brünn.
† Bax Joan., Adrass.
† Bécel J. M., Venet.,
† Beiderlinden Bern. (S. J.), Poona.
† Bender Matth., S. Hippol.
† Benjamin Jerem., Ugola.
† Benini Joan., Piscien.
† Berardi Marcel., Ruben et Bit.
† Berlioz Laur., Hakodate.

RRmi DD.

† Bertagna J. B., Capharnaum (aux-Turin.)
† Bertuzzi Car., Fulginat.
† Blanchi Raph., Lampsac.
† Biffoli Alex., Forosempr.
† Billère Prop., Tarbel.
† Blandini Gaet., Girgenti.
† Blandini Joan., Noto.
† Boccamazzi Aug., Cidonia.
† Boccanera Cæs., Narni.
† Bolognesi Salv., Bellun.
† Boltizar Joseph, Milass. (aux-Gran.)
† Bonacum Thom., Lincoln.
† Bonajuti Car., Foretran.
† Bonetti Aloys., Montisalti.
† Bongiorno J. B., Flaviopoli.
† Bonnet Jos. Mich., Vivarien.
† Boraggini Joseph., Savon. et Nol.
† Bourgade Petr., Taumac.
† Bouvier Petr., Tarantas.
† Bradley Dyon., Manchest.
† Brancia Vinc., Uxentin.
† Brandolini Sigism., Ceneda.
† de Briey Mar. Aug., Melden.
† Brondel J. B., Helena.
† Browring Abrah., Ossorien.
† Bruno Aloys., Ruben et Bit.
† Bruguière Julius, Vic. Ap. Tchely.
† Bryan Thom., Carthag. (Hisp.)
† Buhagiar Ant., Rusp.
† Buglione Alph. Salut.,
† Bubics Sigism., Cassov.
† Bulté Henr. (S. J.) Botra.
† Butler Ant., Milepot.
† Butt Joan., Southwark.
† Calvo Vinc,. Gaditan.
† Camara Thom. (O. S. Aug.), Salmant.

RRmi DD.

† Camilli David, Fesul.
† del Campo Arsen., (O. S. Aug.), Caceres.
† Campomanes Joseph (O. Pr.), Nov. Segov.
† Candido Joseph, Ischia.
† Canilla Gonzal., Listra (Gibraltar.)
† Cano Eug., Bosa.
† Canoz Alex (S. J.), Madurè.
† Cantagalli Joach., Faventin.
† Capellari Pitr., Cirene.
† Caprotti Petr., Hyderebad.
† Carfagnini Henr., Gallipol.
† Carrillo Cresc. Yucatan.
† Carrie Ant. (C. Sp. S.) Dorile.
† Carvelli Aloys., Milet.
† Casas Petr., Plasent.
† Castelli Mich., Tine et Micon.
† Catala Jacob., Barcin.
† Cavaliere Joseph, Cotron.
† Cazet J. B. (S. J.) Sozusa (Madag.)
† Cervera Hyac., Majorq.
† Channelon Joseph (M. E. P.), Dansara.
† Channessian Joan., Angora.
† Chatagnon Marc., Cherson.
† Chinchon Andr. (O. Pr), Anoy.
† Chouzy Joan. (M. E. P.),Pedlenisse.
† Christiaens Benj. (Min. Ref.), Calafone.
† Cione Jos. Mar., Policastr.
† Clifford Guliel., Clifton.
† Cocchia Domin. (O. Cap.), Ascoli.
† Cœuret-Varin Car., Agenn.
† Comford Mich. Corico.
† Comes y Vidal Joan., Minorq.
† Conroy Joan., Curio.
† Consenti Joseph. (SS. Redempt.) Lucer.
† Coqset Aug., Cardica.
† Corbett Jacob., Sale.

RRmi DD.

† del Corona Alb. (O. Pr.) Draso.
† Cornthwaite Robert., Leeds.
† Correa de Bastos Emm. Conimbr.
† Correa di Sa Ant., Mariana.
† Corrias Seraph., Bisarch.
† Cosgrove Henr., Davenport.
† Costa Const. (C. Pass.), Segni.
† Cotter Joseph, Winona.
† de Courmont Rodulp. (C. Sp. S.), Bodonia.
† Cousin Jul. (M. E. P.) Nangazachi.
† Cozzueli Bern., Nicos.
† Cueto y Diez Joseph, (O. Pr.), Canar.
† Curcio Ant. Mar., Oppidan.
† Curti Prosper, Guastall.
† Dabert Joseph, Petrecor.
† Daddi Jacob, Ginopoli (aux-Panor).
† Danize Raph. (Min. Ref.), Caiacen.
† Degaudenzy P. Jos., Vigevano.
† Delannoy. Victor, Atur.
† Demartis Salv. (O. Carm.) Galtellin.
† Dennel David, Atrebat.
† Dessewffy de Csernek Alex., Csanad..
† Diamare J. B., Sessa.
† Dias Joseph, Viseu.
† Donnely Jacob., Clogher.
† Donnely Nic. Canea., (aux-Dublin)
† Donnini Donnino, Arretin.
† Doppelbauer Fr. Mar., Linz.
† Doutreloux Vict. Joseph, Leodien.
† Duboin Fr., Raphnée.
† Dubuis Claud. Mar., Galveston.
† Duc Aug. Jos., Augustan.
† Duggan Patric., Clonfert.
† Dulanski Fern., Quinq. Eccl.
† Dumani Agap., Tolemaid.
† Dunne Joan., Wilcannia.

RRmi DD.

† Durante Tiber., Marsicen.
† Durieu Paul., (O. M. I.) Nov. Westminst.
† Dwenger Joseph, Fort Wayne.
† Fallières Pet. Frid. Briocen.
† Fava Amand., Gratianop.
† Fenouil Joseph (M. E. P.), Tenedos.
† Fernandez Castro, Emm., Mondonedo.
† Fernandez del Rincon Max., Guadic.
† Fernandez Pierola Raym. Abul.
† Fillipi Alex, (M. Ref.) , Cæserea de P.
† Fioni Vit., Sidon.
† Fitz Gerald Guliel., Ross.
† Flasch Kilian., La Crosse.
† Flapp J. B., Parentin.
† Fleck Fr., Metens.
† Foley Joan., Detroit.
† del Forno Aloys. Nucer. Pagan.
† Fosco Ant., Sebenic.
† Gaetani d'Aragona Bern.. S. Severin.
† Galdi Frid., Andrien.
† Galibert Ant., Santorin.
† Gallagher Nic., Galveston.
† Gallo Fr., Avellin.
† Galucci Thom., Recanat.
† Garnier Valent., (S. S.), Titopoli.
† Gaughan Ant., (O. M. I.), Prienen.
† Gasnier Ed. (M. E. P.), Malacc.
† Gelabert Jos., Paranen.
† Gelli Jos. Volterr.
† Gentilucci Lucian., Faliscuh.
† Genuardi Gerland, Iacien.
† Gerbino Xaver., Caltagiron.
† Gialdini Felix, Mont-Polit.
† Giampaolo Fr. Cariopol.
† Giannotti Leonard., (M. Ref.), Mutilan.
† Gibney Matth., Perth.

RRmi DD.

† Gillooly Laur., Elphin.
† Gilmour Ric., Claveland.
† Giordano Alph., (SS. Red.), Calven.
† Glorieux Alph., Boise-City.
† Gochel Aug., Azoto (aux-Paderb.)
† Gomes Ferreira Joan., Coccin.
† Gomes Pimenta Sylv., Mariann.
† Gomez Salazar Fr., Leon.
† Gonçalves L. Petr. (C. Miss.), Rio Grande.
† Gonzalez SanchezEmm., Giannen.
† Granado Fr., Cochobamba.
† Grandin Vital. (O. M. I.), S. Albert.
† Grassi Greg. (Min. Obs.),Ortosia.
† Grace Vallespinas J. B., Astorg.
† Guichard Fr. (M. E. P.) Toron.
† Guillon Laur., Eumenia.
† Haid Leo (O. S. B.), Messen.
† Hais Joseph., Konisgratz.
† Healy Jacob., Portland.
† Hedley Joan.. (O. S. B.), Newport.
† Hennessy Joan. Wichiten.
† Heslin Thom., Natchez.
† Hofmam Joan. (M. Rec.), Telmes.
† Hogan Joan. Joseph., Kansas City.
† Hutchinson Joan. (O. S. Aug.), V. A. Cooktown.
† Hue Guttierez Ferd., Tuden.
† Ibarra Joseph, Chilapa.
† Isley Ed., Birmingham.
† Ingheo Raym. Iglesias.
† Joosten Henr., Marciana.
† Jaderosa Pasch., Birt.
† Janssens Joan., Belleville.
† Jauffret Fr., Bayonen.
† De Jorio Mich., Bovin.
† Junger Ægid., Nesqualy.
† Kahn Joseph, Gurck.

RRmi DD.

† Keys O'Dogherty Joan., Derry.
† Kersusan Fr., Cap Haïti.
† Kleiner Eug., Mysor.
† Knight Edm., Shrewburg.
† Kiciurian Garabat, Erzerum.
† Koeckmann Herm., Olba (Sandwich).
† Koppes Joan., Luxembourg.
† Korum Mich , Trevir.
† Kuilowski Jul., Stanislov.
† Labarca Placid., Conceptio.
† Laborde Car., Blesens.
† Lacy Ricard., Midlesborough.
† Laflèche Ludov.,Trifluvian.
† Lagrange Fr. Carnut.
† Laguciera Pet., Oxom.
† Lamarche Jacob., Corisopit.
† Lamaze Amand. (C. Miss.) Olympie.
† Lamouroux J. M., S. Flori.
† Lapparelli Pitti J. B. Corton.
† Larue Alph., Lingonen.
† Laserre Ludov., Maroc.
† Lavigne Car., (S. J.), Milevit.
† Leon Mich., Cuenca (Amer).
† Leonardi Ludov., Bertinor.
† Leonassi Roch. Angl. et Turs.
† Lichtensteiger Fr., Tiposa (A. Kolocza).
† Lobos Ignat., Tarnow.
† Lopez Mendoza Joseph (O. S. Aug.) Jaen.
† Lopez Hyacinth., Linares.
† Louage Aug. (C. S. Cr.), Dacca.
† de Luca Stan., S. Severi.
† Lucero Joan. (O. Pr.), S. Carl. d'Ancud
† Luque Mich., Chiapas.
† Lynch Jacob. (C. Miss.), Kildare.
† Lyons Fr. (M. E. P.) Basilop.
† Lyster Joan., Achonry.

RRmi DD.

† Mac Alister Patrit., Down et Connor.
† Mac Carthy Joan., Cloyne.
† Mac Cormack Guliel., Galway.
† Mac Golrick Joan., Duluth.
† Mac Govern Thom., Harrisburg.
† Mac Redmond Thom., Killaloe.
† Maccarone Fr., Bojanen.
† Maes Pet. Camil., Covington.
† Maglione Pet., Capotaquen.
† Magliolo Hyacinth., Acerrar.
† Maiolo J. M., Urban.
† Majorosi Joan., Tinia.
† Manacorda Emm., Fossan.
† Mangeruva Fr. Xav., Hierac.
† Maneschi J. B., Verulan.
† Manicardi Vinc.. Regien.
† Marangoni Ludov. (M. Conv.), Clodien.
† de Marchi Pet. Paul., Sura.
† Marconi Nic., Pulat.
† Marello Joseph, Aquen.
† Marpot Cæs., S. Claudii.
† Marsili Julian. (M. Obs.), Antigon.
† Martinez y vigil Raym. (O. Pr.), Oveten.
† Marty Martin. (O. S.B.), Sioux Falls.
† Massia Joseph, Lojan,
† Massucci Theop., (M. Ref.) Sira.
† Matteoli Jul., Savon.
† Matz Nic. Denver.
† Maura y Gelabert Joan., Oriolen.
† di Mazzarasa Joseph Thom., Civit. Roder
† Maeschaert Theoph., Sidin.
† de Medeiros Emm., Macaonen.
† Medina Emm., Truxillo.
† Merizzi Jacob., Vigevan.
† Meseguer Joseph, Terracin.
† Meszlenyi Jul., Szathmar.

RRmi DD.

† Midon Felix., (M. E. P.), Osaka.
† di Milia Bern. (O. Cap.), Larin.
† di Milia Evangel. (O. Cap.), Cassan.
† Miotti Andr., Parmen.
† Molo Vinc., Gallipol.
† Montefusco Thom., Oria.
† Montes de Oca Joseph, S. Ludov., Potosi.
† Mora Fr., Monterey.
† Moreau Ludov., S. Hyacinthi.
† Morgadez Joseph, Vich.
† Munoz y Herrera, Abulen.
† Mutel Gustav. (M. E. P.), Milo.
† Nakic Philip. Fr., Spalat.
† Natali Joan. Pet., Lipar.
† Naugten Mich., Rosen.
† Nevaz Claud., S. Anton.
† de Nittis Iucond. (M. Ref.), Castellan.
† Northrop Henr., Carolopol.
† O'Callaghan Thom. (O. Pr.), Cork.
† Ochoa Ant., Seguntin.
† O Connel Eug., Joppe.
† Ohannessin Joan., Ancir.
† Onate Wencesl. (O. Pr.), Issen.
† Onorati Aug. Mich., Tricaric.
† Ortolani Barthol., Ascul.
† O'Reilly Patrit Sprigfield.
† O'Reilly Bern., Liverpool.
† Ortiz y Guttierez Philip., Zamos.
† O'Sullivan Germ. Molil.
† Ortiz Bonav., Popayan.
† Ossy J. B., (O. Carm.), Quilon.
† Otto Hubert., Assuren.
† Pagani Nic. S. J.), Mangalore.
† Pagis P. J., Verdun.
† Pagnani Clem. (C. Sylv.) Kandy.
† Pagnucci Amat. (M. Obs.) Agatonic.

RRmi DD,

† Palermo Marian., Platien.
† Paoletti Aloys., Montispulc.
† Papiri Robert., Macerat.
† Pascal Albert. (O. M. I.), Mosynopol.
† Patroni Tobia., Valven et Sulm.
† Patterson Jacob., Emmaüs.
† Pavel Mich., Grand Waradin., (gr. roum.)
† Pellegrini Aloys., Troad.
† Pelecz Jul., Premisl.
† Peralta Joseph, Panam.
† Pereira da Silva Joseph, S. Sebastian.
† Perilla Joseph, Tunquen,
† Perronne Joseph, Bellovac.
† de Petris Laur., Sappa.
† Pierola Raym., Victor.
† Phelan Ricard., Pitteburg.
† Petromarchi Domin., Anagnin.
† Pinna Paul., Ampurias.
† Polin Ant., Adrien.
† Pontes Vinc., Guadic.
† Porrati J. B., Bobien.
† Portillo Bonav. (M. Obs.), Zacatecas.
† Portugal Jos. Mar. (M. Obs.), Sinaloa.
† Pozuelo Joseph, Segob.
† Pozzi Placid., Montis Reg. Pedem.
† Previtera Joan., Pacten.
† Priori Mich. Thom., Assisin.
† Puirredon Ism., Punien.
† Pulciano Ed., Movar.
† Racine Ant., Sherbrooke.
† Rademacher Joseph, Fort Wayne.
† Ragusa Fr., Trapan.
† Ramaschiello Domin., S. Agath. Goth.
† Rances Joseph, Civit, regal.
† Re Jos. Fr., Alba.
† Redner Leo, Culm.

RRmi DD.

† Reed da Silva Henr., S. Thom. Meliapor.
† Renouard Firm., Lemovic.
† Renzullo Agnel., Nolan.
† Reynaud Paul., Fossulan.
† Ribeiro de Vieira, Ancir.
† Ricards Jacob., Retim.
† Riccaz Alex., Nagpur.
† Ricciardi Joseph, Neriton.
† Richter Joseph, Grand-Rapids.
† Riddell Arthur., Northampton.
† Riha Martin., Budvicen.
† Rodrigo Cæs., Aurien.
† Romero Ign., Jasso.
† Ronco Joseph., Asten.
† Rosaz Ed., Segutien.
† Rossi Aug., Cornet. et Centumc.
† Rossi Domin. (O. Pr.) Concord.
† Rossini Gaet., Melphiten.
† Rota J. B., Lauden.
† Rubicz Sigism., Cassovien.
† Ruggeri Camil., Fanen.
† Ruiz Cabal Ant., Pampelon.
† Rutjiz Theod., Eleusteropol.
† Sabbia Fr., Cremon.
† Saeli Ant., Ippa.
† Saenz de Venturi Fr., Pacen.
† Salvaj Petr., Alexandr. Statel.
† Salvatore Vinc., Gravin.
† Sanchez y Castro Vinc., Santander.
† Santander Emm., S. Christoph. (Haban).
† de Sanctis Paul., Mandelen.
† dos Sanctos Joan., Diamant.
† Sardi J. M., Pinerolien.
† Sarnelli Vinc. M., Stabian.
† Sarthou J. B., Miriofidi.
† Scanlan Laur., Lacus Salsi.

RRmi DD.

† Scarella Steph., Carpass.
† Scotti Ant., Aliphan.
† Schumacher Pet., Port. Vet.
† Seindenbusch Robert, Aila.
† Semprini Euseb., Tiberiopol.
† Sibilia Blas. Signin.
† da Silva Leitas Ant. Thom., Ekhinen.
† Sivilla Thom., Gerunden.
† Sodo Ludov., Telesin.
† Soldevila Joan., Tirason.
† Soubrier Gerard., Oran.
† de Souza Barroso Ant., Portugall.
† de Souza Monteiro Ant., Bejen.
† de Stefano Ant., Benda.
† Steiner Philip., Albæ Regal.
† Stillemans Ant., Gandav.
† Suarez de Peredo Jos. Ign., Veræ Crucis.
Streile (S. J.) Admin. Port. Vict.
† Tacione Galucci Domin. Nicotrien.
† Tagliabue (C. Miss.) Pekin.
† Tempesta Daniel, Trojan.
† Tesorieri Ludov,, Imolen.
† Theuret Car., Monœc.
† Thiel Bern., S. Josephi Costa Ric.
† Tissot J. M., Vizigapatam.
† Tonietti Amilc., Ilcinen.
† Torregiani Elias (O. Cap.) Amirdal.
† Torrijos Raym. Pacen.
† Tosi Paul. (O. Cap.) Rodiopol.
† Traversi Eug., Collen.
† Tregaro Fr., Sagien.
† da Trinidad de Vasconcellos Ant., Lamacen.
† Trotta Fr., Theramen.
† Valensise Domin., Nicastren.
† Valfré de bonzo Theod., Cuneen.
† Valero J. M., Conchens (Hisp).

RRmi DD.

† Van Camelbeke Fr. Xav. (M. E. P.) Hierocæsar.
† Van der Vyver Aug., Richemond.
† VaughanGuliel., Plymouth.
† Veneri Gislin., Aquæpend.
† Verdier Joseph., Megar. (Tahiti).
† Vertin Joan., Saltus S. Mar.
† Vespignani Alph., (Cæsenat).
† Vic Casim. (C. Miss.) Metellopol.
† Vidal Jul , Abido.
† Vieira Joach., Fortalex.
† Verdia Joseph., Cariaten.
† Virtue Joan., Porstmouth.
† de Vivo Januar. Puteolan.
† Volonteri Simon, Paleopol.
† Wadams Edgar, Ogsdenburg.
† Weathers Gulielm., Amich. Aux. Westminst.
† Wigger Vinaud. Mich. Newark.
† Wilkinson Thom., Hexham et New. Castl.
† Yerigui Inn. Mar. Montisvid.
† Zalka Joan., Jaurien.
† Zerr Ant. Aux. Tiraspol.
† Zonghi Aurel., S. Severin.
† Zotmann Fr. Xav. Tiraspol.

Aliæ 8 diœceses aut fidelium Congregationes repræsentantur a

RR.

Baraja Sim., Prov-Vic. Coptor. (Ægypt).
Fontella, administ. Ap. Scopia.
della Torre (O. S. Aug.) Pro-Vic. Hunan Sept.
Zenobe de H. Fr. Præf. Ap. Ægypt. Sup.
Marinelli Pasch., Vic. Cap. Civit. Pleb.
de Lyra Hierem., Vic. Cap, Olinda
Madriaga Barth., Vic. Cap. Serena.
Grandclaude, Vic. Cap. S. Deodati.
Mauger A. Præf. ap. Ins. Comor.

Superiores Generales

RR. PP.

d'Adermatt Bern., Capuccin.
Anderlédy Ant. Mar., Societ. Jesu
Archier, Mission., La Salette.
Beardwood Camil., Abb. Trapp.
Bruniaux Ans. Mar., Cartusian.
Cecchi Fortun., Hieronymit.
Chevalier Jul., Sacratiss. Cordis.
Cornély Vinc., Cong. S. Silvestri.
Couraet Fr. (O. S. B.) Abbas (Kansas).
Farini Angl. Carmelit.
Fiat Anton., C. Mission.
Larroca I. M., O. Prædicat.
Malhaire Lud. Amad., B. V. M. Yvrandia.
Marianus a SS. Cordibus, Augustin. Exscal. Abbas Benedict. Termonde.
Soldatich. Bonav., Min. S. Fr. Conventual.
Mundwiler Fintan., Abb. Gen. Bened. (Americ.)
Sorin Ed. Sanctæ Crucis.

Unde ex hoc duplici Elencho, quod cultum *Protoduliæ* in Ecclesia catholica et in s. Liturgia sanciendum spectat, habes, omissis religiosorum Ordinum Generalibus, Purpuratos Patres sex et sexaginta (inter quos duos Pontifices Summos), SS. Antistites sex et viginti supra octingentos : in summa **892**, qui cultum illum adprobarunt et postularunt. Equidem nescio an in ullo Concilio aliqua veritas, aliquodve *Postulatum*, tot Episcoporum votis fuerint sancita. Nescio an Postulationi, tot *placitis* fidei Procerum obsignatæ, possit theoretice vel practice subesse falsum aut minus rectum. Nescio tandem an alicui videri jam possit imprudens eidem *Postulato* nominis proprii subscriptio. Contra tantam testium nubem quid valeat unius aut alterius

scriptoris vei theologi oppositio seu contradictio, nemo non sentit. Sed eo minus valere putandum est, quod plures, ac forte magna pars subscribentium, thelologos suos consuluerunt priusquam ipsimet subscriberent.

Qui autem fuerit tot postulationum exitus, brevi dicam post tertium documentum.

III

TERTIUM DOCUMENTUM

Tertium, in favorem cultus *Protoduliæ* documentum, illudque, ad hæc nostra tempora, auctoritate, doctrina, plenitudine, præstantissimum simul ac validissimum, habetur in Encyclicis Litteris Leonis Pp. XIII, die XV Augusti a. 1889 datis, « De patrocinio s. Josephi (1), una cum Virginis Deiparæ, pro temporum difficultate, implorando ». Excerpta quædam, ad rem nostram spectantia, heic oculis lectoris subjiciam.

« Magnopere arbitramur expedire, ut una cum Virgine Deipara ejus Sponsum beatum Josephum implorare populus christianus præcipua pietate et fidenti animo insuescat · quod optatum gratumque ipsi Virgini futurum certis de caussis judicamus.

« Profecto hac in re, de qua nunc primum publice dicturi aliquid sumus, pietatem popularem cognovimus, non modo pronam, sed velut instituto jam cursu progredientem : propterea quod Josephi cultum, quem superioribus quoque ætatibus romani Pontifices sensim provehere in majus et late propagare studuerant, postremo hoc tempore vidimus passim nec dubiis incrementis augescere, præsertim posteaquam Pius IX fel. rec., plurimorum rogatu, patronum Ecclesiæ catholicæ declaravit. Nihilominus, cum tanti referat, venerationem ejus in moribus institutisque catholicis penitus increscere, idcirco volumus populum christianum voce imprimis atque auctoritate nostra moveri.

« Cur beatus Josephus nominatim habeatur Ecclesiæ patronus, vicissimque plurimum sibi de ejus tutela patricinioque pol-

(1) In s. Liturgia nomen s. Josephi solet *indeclinabile* usurpari. Summus Pontifex heic et alibi *declinabile* facit : forte, ut istud secernat melius ac facilius ab antiquo Patriarcha ; aut etiam forte quia hic modus dicendi clarius et elegantius orationi subservit. Equidem omni dicenti consentio, usquedum s. RR. Congregatio rem authentice definierit ; attamen, propter duplicem rationem modo allatam, in libello *Josephum* dicam. Cui *Joseph* magis placuerit omnino assentior ipsi. Altior quæstio est quam grammatices.

liceatur, caussæ illæ sunt rationesque singulares, quod is vir fuit Mariæ et pater, ut putabatur, Jesu Christi. Hinc omnis ejus dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectæ. Certe matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri majus queat. Sed tamen quia intercessit Josepho cum Virgine beatissima maritale vinculum, ad illam præstantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipera antecellit, non est dubium quin accesserit ipse, ut nemo magis. Est enim conjugium societas necessitudoque omnium maxima, quæ natura sua adjunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca, si sponsum Virgini Deus Josephum dedit, dedit profecto, non modo vitæ socium, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsæ dignitatis ejus conjugali fœdere participem.

« Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos Filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater. Qua ex re consequens erat ut Verbum Dei Josepho modeste subesset, dictoque esset audiens omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est... »

Heic loci impræsentiarum stare possumus, ut s. Josephi jus ad cultum *protoduliæ* comprobemus. Ex sequentibus verbis ejusdem Encyclicæ aliud infra ducemus argumentum.

Jamvero, in loco recitato, omnia fere commata cultum *protoduliæ* innuunt atque confirmant.

I. « Magnopere arbitramur expedire, ut, una cum Virgine Deipara, castissimum ejus sponsum b. Josephum implorare populus christianus, præcipua pietate et fidente animo, insuescat ». — Nimirum cultum b. Josephi non separari deceta cultu Virginis Deiparæ : uterque jam, etsi non eodem gradu, populo christiano est necessarius.

II. Ac paullo post hæc eadem necessitas clarius adhuc ac firmius prædicatur : « Cum tanti referat venerationem ejus (Josephi) in moribus institutisque catholicis penitus increscere, idcirco volumus populum christianum voce imprimis atque Auctoritate Nostra moveri ».

a) Nunquam Pontifices vel Episcopi cultum erga aliquem Sanctum, sola excepta Virgine Maria, tanta velut emphasi exstulerunt.

b) « Tanti referat », i. e., maximi ;

c) Non una alterave parte Ecclesiæ, sed omni populo christiano ;

d) Non in sola quadam cultus manifestatione, sed « in moribus institutisque » ;

e) Non aliqua tantum ratione, sed « penitus » ;

f) Non quadam exhortatione Pastorum Ecclesiæ, sed plena Romani Pontificis auctoritate, ad cultum Josephi necessarium movetur populus christianus.

g) « Una cum Virgine » : hæc est formula quæ jam videtur in s. Liturgia recipienda et usurpanda.

h) « Hoc autem optatum gratumque Virgini futurum » — tanquam ejusdem Virginis proprium honorem, — certis de caussis judicatur.

III. Sed enim quæ sequuntur omne ferunt punctum.

— « Non est dubium quin accesserit (Josephus dignitati pene infinitæ Mariæ) ut nemo magis ».

Ergo, si primus, post Mariam, dignitate excellit, dignus est qui primus, post Mariam, cultu honestetur.

IV. Sed, si cui dubium subesse posset, ipsa ratio, quam adjungit Pontifex plena luce veritatem offundit : sicut nemo magis — i. e. ipse solus — fuit Deiparæ sponsus, ita nemo magis — i. e. ipse solus — dignitatis fuit Deiparæ particeps : tota quippe hujus tam excelsæ participationis ratio titulus sponsi est.

V. Prosequitur Leo : « Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes ».

— *a*) Si unus eminet inter omnes, superior omnibus est : nam, si non est omnibus superior, eminet quidem inter plures aut æquales, minime vero unus inter omnes. *b*) Si Josephus heic non dictus est eminere *supra* omnes, dictus est tantum *magnus Sanctus* : hoc autem jam sciebatur, nec necesse fuit tanta emphasi a Pontifice prædicari. « *Similiter* » : jungit Pontifex hunc paragraphum cum præcedenti, ostenditque se, ex alio capite, velle eamdem veritatem firmare. Jamvero in præcedenti paragrapho aperte docet Josephum dignitate superare omnes, quia ante omnes accessit dignitati Mariæ.

Ergo, citra dubium, Leo docet Josephum eminere *supra om-*

nes : sed, si augustissima dignitate, superior est omnibus, debet et cultu omnibus superior esse.

VI. Id evincit plane ratio addita : « Qua ex re consequens erat ut Verbum Dei Josepho modeste subesset dictoque esset audiens, omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est ». — Verbum Dei cultum supremum, quem Deus erga creaturam adhibere potest, cultum scilicet filialem, quo perfectior non est, Josepho adhibuit. Ille sane unus dignitate eminet inter omnes, quem unum Verbum Dei, præ creaturis omnibus, cultu suo filiali dignatus est.

VII. Quod tam diserte, tam decretorie, docet Pontifex, hoc idem exercite proclamat. — Beatus Josephus a Pio IX i. m. renuntiatus est Ecclesiæ catholicæ Patronus ; Leo XIII hujus tanti honoris causam intrinsecam quasi ob oculos ponit.

« Atqui domus divina, quam Josephus velut potestate patria gubernavit, initia exorientis Ecclesiæ continebat. Virgo sanctissima, quemadmodum Jesu Christi genitrix, ita omnium est christianorum mater..., itemque Jesus Christus, tamquam primogenitus est christianorum, qui ei sunt adoptione ac redemptione fratres. — Quibus rebus caussa nascitur, cur Beatissimus Patriarcha commendatam sibi peculiari quadam ratione sentiat multitudinem christianorum, ex quibus constat Ecclesia, scilicet innumerabilis isthæc perque omnes terras fusa familia, in quam, quia vir Mariæ et pater est Jesu Christi, paterna propemodum auctoritate pollet ».

Fusius infra de Patronatu s. Josephi tractabimus, iisdemque verbis utemur ad cultum *Protoduliæ* comprobandum ; satis sit heic duo adnotasse.

1° Patronatus s. Josephi in Ecclesiam universam non putandus est incœpisse a proclamatione Pii IX, sed a primissimis Ecclesiæ initiis sumendus est : exoriens Ecclesia fuit domus divina ; domus divina tota Patronum habuit Josephum ; jam Dei decreta non mutantur. Exorientis Ecclesiæ totius semel a Deo constitutus Patronus, ejusdem Ecclesiæ Patronus usque erit. « Constituit eum dominum domus suæ et principem omnis possessionis suæ » ; uni Josepho hæc verba possunt adamussim aptari.

2° Patronatus s. Josephi in universam Ecclesiam non est adven-

titius, sed naturalis. Etenim a Deo quidem Josephus constitutus est Patronus divinæ in terris domus, sed titulo naturali *patris*.

Hac duplici de ratione nullus Sanctorum vel Angelorum est Ecclesiæ catholicæ Patronus, sed neque esse potest. Nullus igitur Sanctorum vel Angelorum æquali honore ac Beatus Josephus ab Ecclesia catholica est prosequendus. Hæc conclusio immediate fluit a principiis in Encyclicis Litteris tam firmiter positis.

Quæ quum ita sint, mirabitur aliquis, nec injuria, ipsum Leonem XIII non decrevisse sancto Patriarchæ cultum in Ecclesia duliæ summum.

Decrevisset profecto, ut reor, maxime si subscriptiones a me susceptas ad pedes Ejus detulissem, nec potuisset post Encyclicas Litteras non decernere, nisi, hostibus et adversariis insurgentibus, differendum tantisper, pro bono pacis, judicasset.

Etenim statim post editas Litteras *Quanquam pluries*, quidam in Germania et Anglia Protestantes folia periodica clamore impleverunt suo. « Unio Evangelica » declaravit « debere se omnino protestationem elevare contra hunc novum paganismum ». Addebatque, « Leonem XIII in hæresim incidisse, juxta ipsamet catholica principia, quippe quod aliquid prorsus inauditum docuisset ». His clamoribus respondit invicte, duplici articulo, R. P. Pfülf, in periodico tam bene merito *Stimmen aus Maria Laack.*, tom. 38, p. 137, ss.

Nec revera difficilis est responsio. Aliud enim est cultus cujuspiam *exercitatio*, aliud ejusdem cultus *principium* seu *fundamentum*. Cultus exercitium erga s. Josephum utique recens incœpit; principium vero et fundamentum tam antiquum est quam ipsummet Evangelium. Non inventioni Leonis XIII debetur quod Josephus fuerit sponsus Dei Genitricis et pater Verbi Incarnati: porro sufficit paululum hosce duos titulos reflexe attendere, ut s. Josephus, nedum cultu, sed cultu summo dignus proclametur.

Cæterum, quid possunt Protestantes Ecclesiam novitatis arguere, quum ipsi, singulis prope diebus, tum variæ sectæ, tum individui, nova semper dogmata instaurent vel rejiciant? — Insuper, si spiritus privatus sufficit Protestantibus ad interpretationem Scripturæ, cur Papæ et Episcopis catholicis denegare-

tur ?... Tandem Protestantes de re quapiam catholica clamant, quippe ab initio sunt essentialiter clamantes in Ecclesiam catholicam ; quo die cessarent clamare cessarent esse Protestantes Litteræ Encyclicæ Leonis XIII *occasio* seu *prætextus* fuerunt clamoris ; quibus Litteris deficientibus, super aliud clamavissent. Momenti ergo nullius sunt hi clamores, nec mora vel attentione digni.

Revera vix attendisset Leo XIII, suspicor ego, nisi Romæ longe major orta fuisset oppositio. Ibi vivebat tunc temporis Vir magnæ dignitatis, magnæ doctrinæ, virtutis eximiæ. Is antiquorum Rituum tenacissimus, velut *a priori* et quæstione *præjudiciali* interposita, ne sinebat quidem *Postulatum* de cultu s. Josephi amplificando in disquisitionem venire. Potuisset ille reflectere : non esse Ecclesiam propter ritus, sed ritus propter Ecclesiam, i. e. propter bonum animarum. Potuisset etiam attendere : *Postulatum* in concilio Vaticano, subsignatum nomine 38 cardinalium et 220 Episcoporum, omissis iis, qui, etsi vellent, non potuerunt subsignare, omissis pariter omnium Ordinum superioribus generalibus, *Postulatum*, inquam, hujusmodi nonnulla fuisse consideratione dignum.

Sed, nedum ulteriori cultus s. Josephi amplificationi faveret, contra — etsi certum non habeo — fuit ille, saltem magna parte, auctor decreti, quod ab Encyclicis Litteris duobus post annis exivit : ut in cultu liturgico s. Josephi nihil innovaretur.

Neque tamen lector aliquid de illo sinistrum vel minus rectum sentiat ; iterum dico, vir fuit omni virtute et doctrina conspicuus, nec nisi de optimis rationibus a se sibi factis potuit duci. Equidem in hac magna *contrarietate* vidi digitum Dei, qui, ab initio cujusque fere devotionis vel amplificationis cultus, solet permittere ut insurgant aliqui viri pii et docti, quo majore cum oratione, patientia, labore, cœlitus impetretur et majoris subinde pretii fiat concessio.

Sed quum rescivissem tanti viri *oppositionem*, judicavi subscriptiones a me susceptas, quamvis maximam partem ordinis Episcopalis repræsentarent, nondum esse Romam deferendas, in tempus vero melius differendas. Num venerit melius illud tempus nescio. Hoc unum scio, adversarium *Postulati* dudum jam corona gaudere bene merita. Faxit Deus non adsurgat alter !

IV

QUARTUM DOCUMENTUM

Quanquam Leo XIII opportunum non judicaverit cultum summæ duliæ s. Josepho explicitis verbis adscribere, quem implicite scripserat in Encyclicis Litteris, aliud tamen ejusdem cultus jecit fundamentum in officio SS. Familiæ sacra jam Liturgia recepto.

In demonstratione theologica, quæ subsequitur, pluribus locis hujus officii utemur, sed præstat heic breviter loca præcipua colligere, quo clarius pateat cultum summæ duliæ jam propemodum in s. Liturgia exerceri.

Et primo, quod mentem percellit est unio et quasi unitas trium Personarum in eadem Ecclesiæ laude et invocatione, eo aliquatenus modo, quo celebratur una et indivisa Trinitas. Orabat Christus Dominus Patrem pro discipulis : *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (Joan., xvii-21) — In SS. Familia habetur consummatio illa unitatis, qua major, præsenti in ordine, nec intelligi potest, sicut non potest intelligi ratio fundans hanc unitatem strictior aut perfectior. Adde, unum e tribus vinciendis esse ipsummet Deum, qui et ipse est aliis duobus vinculum unitatis. Hanc porro moralem fere identitatem refert, in officio SS. Familiæ, una trium invocatio et laus.

Sed eamdem totum officium prædicat, quasi altera ex his tribus Personis sine altera honorari satis non posse videatur. Sicut olim Abraham tres vidit et unum adoravit, ita sancta Mater Ecclesia tres videt et unum honorat. Antiphonæ, Invitatorium, hymni, oratio, uno et pio « fumant redolentque thuris honore ».

Jam vero quis non videt ex hoc solo facto s. Josephum constitui, et quidem in s. Liturgia, extra et supra omnium Beato-

rum ordinem? Eo vel magis quod Trias illa terrestris — tota in montibus sanctis fundata — æternum æternumque durabit.

Verum ad quædam particularia descendamus.

De stirpe Jesse nobili
Nati in salutem gentium
Audite nos, qui supplices
Vestras ad aras sistimus.

Qua vestra sedes floruit
Virtutis omnis gratia,
Hanc detur in domesticis
Referre posse moribus. (*ad Vesper.*)

Assidet nato pia Mater almo,
Assidet sponso bona nupta, felix
Si possit curas relevare fessis
Munere amico

O neque expertes operæ et laboris,
Nec mali ignari, miseros juvate,
Quos reluctantes per acuta rerum
Urget egestas

Demite his fastus, quibus ampla splendet
Faustitas, mentem date rebus æquam,
Quotquot implorant columen benigno
Cernite vultu (*ad Matut.*)

O Gente felix hospita
Augusta sedes Nazaræ,
Quæ fovit alma Ecclesiæ
Et protulit primordia.[4]

Sol, qui pererrat aureo
Terras jacentes lumine,
Nil gratius per sæcula
Hac vidit æde aut sanctius.

Ad hanc frequentes convolant
Cœlestis aulæ nuntii ;
Virtutis hoc sacrarium
Visunt, revisunt, excolunt.

Qua mente Jesus, qua manu,
Optata patris perficit !
Quo Virgo gestit gaudio
Materna obire munera !

Adest amoris particeps
Curæque Joseph conjugi,
Quos mille jungit nexibus
Virtutis auctor gratia.

Hi diligentes invicem
In Jesu amorem confluunt,
Utrique Jesus mutuæ
Dat caritatis præmia. (*ad Laud.*)

Hæc commentario non indigent. Qui non viderit Josephum, tot Jesu et Mariæ devinctum nexibus, unum eminere supra omnes, non ego eum docere tentavero. Potuissem alia plura referre, præsertim RR. bb. ; sed menti sinceræ hæc sufficere arbitror : menti præoccupatæ nullum sufficiet argumentum.

Hæc omnia verbo Evangelista indigitavit : *Cum esset desponsata mater ejus* (Jesu) *Maria Joseph.* (MATT., 1-18) — Quod Deus conjunxit homo non separet !

PARS SECUNDA

POSTULATUM DE CULTU *PROTODULIÆ*

SANCTO JOSEPHO ADSCRIBENDO

THEOLOGICIS RATIONUM MOMENTIS COMPROBATUR

Quamvis allata hucusque ecclesiastica documenta *Postulatum*, de cultu *Protoduliæ* s. Josepho adscribendo, satis superque firmare videantur, nihilominus haud abs re erit idem et theologicis rationum momentis constabilire.

Dignus est s. Josephus qui cultu duliæ summo vel, ut aiunt Patres Vaticani — quod in idem recidit — « publico duliæ cultu in Ecclesia catholica atque in s. Liturgia, post Dei Genitricem præ omnibusCœlitibus, in posterum honoretur ». — Hæc conclusio tam multis, tam validis theologicis probationibus fundatur, ut vix credam aliquem esse posse qui eamdem neget.

Sicut in procemio notatum est, ad cultum summum s. Josepho tribuendum, non requiritur, ut certo constet de summa ejus supra omnes sanctitate ; sufficit quod certo sciamus Deum ei concessisse dignitatem supernaturalem omnium summam ; eo vel magis quod, si quorumdam Sanctorum cognovimus gradum dignitatis relativæ, de nullo, præter Virginem Beatam, gradum relativæ sanctitatis cognoscimus. Ergo, vel negandum est posse institui, ex sola dignitate, diversos gradus in cultu Sanctorum — quod aperte Liturgiæ contradicit, — vel fatendum est summæ dignitati supernaturali cultum deberi duliæ summum : *a fortiori*, si probetur dignitatem illam esse non modo eminentem, sed etiam specifice diversam.

Verum enim vero, si probetur Josephum non dignitate tan-

tum, sed etiam sanctitate superare omnes, concludere erit cultum Protoduliæ eidem omni jure esse adscribendum.

Duplici igitur sectione tota res theologica conficietur : in prima, de dignitate Josephi ; in altera, ad abundantiam juris, de ejusdem sanctitate.

SECTIO PRIMA

DE DIGNITATE SANCTI JOSEPHI

THESIS PRIMA

Titulo supernaturali juridico Beatus Josephus nomen sibi proprium accepit « Patris Verbi Incarnati ».

Declaratio. — *a)* Quatuor partes in thesi, quarum prima est de fide, reliquæ, theologice certæ. — *b) Titulus juridicus* est ratio quædam a lege vel auctoritate legitima procedens et alicui conferens facultatem moralem aliquo bono fruendi. — *c)* Titulo *supernaturali*, i. e., qui excedat per se congenitam exigentiam et capacitatem cujusvis creaturæ. — *d) nomen* est appellatio sub qua generatim aliquis interpellatur. — *e) proprium*. Proprium dicitur, quod ita alicui inhæret, ut sit ipsi prorsus singulare et alterius exclusivum. *f) Nomen patris* ; nondum inquirimus de acceptione et extensione hujus nominis, sed solam appellationem *patris*, quo demum cumque sensu, propugnamus, — *g). Verbi Incarnati*. Quum inter entia rationalia omnis relatio a persona procedat et ad personam terminetur, quumque in Christo-Homine unica sit persona Verbi, inde fit ut omnis relatio Beati Josephi ad Christum sit ad Verbum Incarnatum, i. e. terminetur directe et immediate ad Deum ipsum in se, seu ad divinam Personam. — Hæc annotatio tanti est momenti, ut, si omittatur, nihil prorsus de s. Josepho intelligatur, si præ oculis habeatur, excellentia hujus Beati Viri supremam sese undequaque et clarissime prodat.

Demonstratio. 1. **Pars.** — *Beatus Josephus accepit nomen patris Verbi Incarnati.*

I. *Ex* SCRIPTURA. — *a*) Et cum inducerent (in templum) *puerum Jesum parentes ejus* (γονεῖς progenitores). (LUC, II, 27.) — *b*) *Et erat pater ejus et mater mirantes.* LUC, II, 33.) — *c*) *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem.* (LUC, II, 45.) — *d*) *Ecce pater tuus et ego dolentes...* (LUC, II, 48.) Res in aperto est, quum dicatur propriis terminis.

II. *Ex* PATRIBUS. Fusius infra ; satis sit huc retulisse unum aut alterum. — 1° *S. August. a*) « Quod ergo respondet Dominus Jesus Christus : *Oportet me esse in his quæ Patris mei sunt*, non sic indicat Patrem Deum, ut neget patrem Joseph. » (*Serm. 51. c. 11. n. 19.*) — *b*) « *Et ibant parentes ejus...* Ne quisquam hic *parentes* consanguineos potius Mariæ intelligendos putet ; quid ad illud respondebit, quod ipse Lucas superius dixit : Et erat pater ejus et mater mirantes ?... » (*De consens. Ev. 1. 2. c. 1. n. 2.*)

2° Ex s. *Hieronym.* — « Ipsa quoque Maria.., quid de Josepho loquitur ausculta : Fili... ecce pater tuus et ego... Non enim hæc Judæorum,, non illudentium vox est. Evangelistæ patrem Joseph dicunt, patrem Maria confitetur » (*In. Helvid. 1. 2. n. 4*).

III. — Ex unanimi Theologorum consensu, ex sacra Liturgia, ex sensu fidelium communi, idem omnino eruitur.

2. **Pars.** — *Hoc nomen est Beato Josepho proprium*, i. e.. nulli alteri communicatum, vel etiam, præsenti in ordine, communicabile.

Hæc secunda pars iisdem argumentis probatur ac prima. Tam enim evidens est hoc nomen nulli alii fuisse communicatum, quam evidens est fuisse Beato Josepho datum. — Quod autem nulli jam sit creaturæ communicabile, ex eo patet, quod nulli fuerit communicatum, nec novam Verbum mortalem vitam sit suscepturum.

3. **Pars.** — *Est titulus supernaturalis.*

1° Titulus quo quis, refertur ad Verbum Incarnatum in se, directe et immediate, non potest non esse supernaturalis, quia Verbum Incarnatum est quid absolute et totum supernaturale ; atqui nomen patris Verbi Incarnati est titulus hujusmodi ; ergo.

2° Titulus quo quis participat, quomodocumque, id quod est

absolute proprium unius Personæ divinæ in se, est titulus supernaturalis, quia creaturæ per se non possunt habere nisi quod procedit causaliter a Deo, minime quidquam quod sit in ipso Deo et uni divinæ Personæ proprium ; atqui nomen patris Verbi Incarnati est titulus hujusmodi ; ergo.

3° *Confirmatur.* Ex S. Matth. *Et patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* (XVIII, 9.) Jamvero Jesus patrem sibi vocavit Josephum ; patrem Jesu vocavit Maria : id autem fieri non potuit, nisi aliquatenus nomen Patris Cœlestis participaverit Josephus.

4. Pars. *Est titulus juridicus*, sc. collatus speciali electione et delegatione divina.

1° *A priori.* Impossibile est ullam creaturam sibi usurpare posse nomen *Patris* quomodocumque acceptum erga Filium Unigenitum : igitur, vel Josephus hoc nomen non habuit, vel electione et delegatione divina hoc eodem dignatus est.

Confirmatur. Tum B. Virgo, tum Evangelistæ nomen *Patris* Beato Josepho apposuerunt ; atqui id non potuerunt facere, nisi nomen illud a Deo, i. e. juridice fuerit collatum : nulla quippe creatura potest nomen proprium Patris Æterni erga Filium ejus ad hominem derivare.

2° *Indirecte.* Multis locis Scripturæ Deus declarat et Beato Josepho adscribit id quod naturaliter nomen patris notat vel comitatur : *Accipe conjugem tuam* ; — *Vocabis eum Jesum* ; — *Erat subditus illis* ; etc.

Sed hactenus, quum id notissimum sit et ex sequentibus luce clarius fiet.

THESIS SECUNDA

Vel solus hic titulus arguit in Beato Josepho summam omnium excellentiam summamque Deo affinitatem ; ideoque exposcit honorem omnium summum.

Declaratio. *a*) Iterum dico, præscindimus omnino ab excellentia per gratiam ; agimus tantum de excellentia, quæ accedit

creaturæ propter titulum. Ut intelligantur theses nostræ et earum vis percipiatur, possumus supponere B. Josephum, et alios quosvis, quibuscum compararetur, haud equidem peccato esse Deo invisos, sed carere gratia sanctificante. Infra dicemus de sanctitate s. Josephi, tum absolute, tum relative, in præsentiarum, tantum de titulo. Sit igitur dictum semel pro semper.

b) Item, heic et infra loquimur de excellentia, primum absoluta, dein relativa. Neque tamen est cur probemus directe hos titulos importare aliquam excellentiam, quia supponimus satis per se patere.

c) Thesis tres partes habet præcipuas ; quælibet videtur theologice certa.

Demonstratio. 1 Pars. *Excellentia summa, tum absolute, tum relative.*

A) Absolute. Titulus creaturæ omnium maxime indebitus arguit in ea excellentiam absolute summam : atqui titulus « patris Verbi Incarnati » est titulus creaturæ omnium maxime indebitus, tum quia est participatio quædam nominis ipsius Patris Æterni, tum quia refert immediate ad Filium Unigenitum. Ergo.

B) *Relative.* Sicut in divinis titulus Patris est primarius, non perfectione, nec natura, sed tantum origine, ita, in humanis, aut etiam in creaturis, primarius est titulus patris, quia, cæteris paribus, magis refert excellentiam primariam quæ in Deo est. Angeli quidem, licet patris nomen non sortiantur, perfectiores sunt patribus humanis, tum quia patres humani inferioris sunt naturæ, tum etiam quia paternitas humana non est nisi quid accidentale et imperfectum ; in humanis tamen titulus omnium perfectior est titulus patris, quia relationes importat inter homines omnium perfectiores.

Igitur excellentia B. Josephi relative summa, non tantum ex titulo patris oritur, sed ex titulo patris *Verbi Incarnati*, qui titulus, in se summus, nec fuit communicatus, nec est communicabilis ulli creaturæ. — « Joseph, inquit B. Canisius, nomen præclarum, nullique mortalium (nec sane Angelorum) communicandum, ut Christi pater et vir Mariæ in Evangelio appelletur, accepit. » (de Maria V. 1. 2. c. 13). — Et Suarez : « Cum Æternus Pater summa sapientia et providentia hoc nomen sibi proprium

cum hoc viro (solo) communicaverit, satis significavit ad quantam dignitatem eum evexerit ».

Ideoque Emi ac Rmi Patres Vaticani non dubitarunt huic formulæ adstipulari : « Beatus Joseph, ceu Pater Christi, *tanto meliori creaturis omnibus effectus fuit, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit* ».

2. **Pars.** *affinitas Deo summa.*

A) *Absolute.* Titulus patris Christi est participatio nominis Patris Æterni erga proprium Filium suum Unigenitum ; atqui hæc est affinitas ad Deum omnium absolute summa, nam est participatio tituli divini, qui terminatur immediate ad ipsum Deum.

c) *Relative.* Omittendo Patriarchas et Prophetas, de quibus infra aliquid dicemus, præcipui qui affinitatem *ex titulo* habuerunt ad Deum recensentur, Angeli, s. Joannes Baptista et Apostoli ; atqui titulus Apostoli, Præcursoris, vel etiam Angeli, minorem affinitatem ad Deum importat, quam titulus patris Verbi Incarnati.

a) *Angeli* spiritus sunt *administratorii* Dei ; atqui minorem, per se, dicit affinitatem ad Deum nomen *administratorii* quam nomen patris Verbi Incarnati.

b) *Apostoli* referuntur ad Christum, non in se, sed prout est Redemptor animarum, neque referuntur per se et immediate ad Patrem Æternum ; unde : Titulus qui refert ad Christum, non in se, neque refert directe et immediate ad Patrem Æternum, minorem affinitatem habet ad Deum, quam titulus qui refert ad Christum in se et ad Patrem Æternum ; atqui ita est de titulo Apostoli comparative cum titulo Patris Verbi Incarnati. Ergo.

c) Item titulus *Præcursoris* ordinem dicit ad Messiam duntaxat, sed neque ullo modo ad Patrem. Hoc argumentum pressius evolvetur infra ; sed jam inde apparet distinctio et distantia inter hos varios titulos.

3. **Pars.** *Exposcit honorem summum.*

A) Exposcit honorem, quia hic titulus est specialis, supernaturalis, a Spiritu sancto sancitus, Ergo, si honorantur in Ecclesia tituli *Apostoli* et *Præcursoris*, saltem æquo jure debet honorari titulus *Patris Verbi Incarnati*.

B) Honorem summum : « Causa honoris, ait Angelicus, est id ex quo ille qui honoratur habet aliquam excellentiam. Nam honor est reverentia alicui exhibita propter sui excellentiam ». (3 q. 25 a. 1. c.) Unde : Quo major alicujus excellentia, eo majore dignus est honore ; atqui excellentia patris Verbi Incarnati, vel quod solum nomen spectat, est absolute et relative omnium summa. Ergo.

b) Iterum Angelicus : « Maxima reverentia debetur homini ex affinitate quam habet ad Deum ». (2. 2. q 103. a. 4. ad. 2.) Atqui ex titulo patris Verbi Incarnati Josephus affinitatem habet ad Deum absolute et relative omnium summam. Ergo.

Confirmatur. 1° In Evangelio, et jam in s. Liturgia, recoluntur *parentes Christi* ; atqui hæc appellatio majorem exposcit honorem quam alia quævis, tum per se, tum quia includit Beatam Virginem, quæ certo sibi honorem summum meretur. Beatus Josephus, Virgini consociatus nomine, debet consociari honore.

Confirmatur. 2°. Honore speciali honoratur *Princeps Apostolorum*, subque hac formali ratione omnibus Apostolis in cultu Ecclesiæ antefertur. Atqui titulus patris Verbi Incarnati et patrisfamilias divinæ domus præstat titulo Principis Apostolorum. Ergo.

Annotatio. In hac thesi processum maxime notatum velim, quia est veluti primus et infimus gradus ascensionum, seu *incrementi* Josephi. In thesibus sequentibus, quas eadem methodo proponemus, demonstrabitur, ni fallor, Josephus semper magis magisque *pater* accrescens, magis magisque honore summo dignus.

THESIS TERTIA

Beatus Josephus in Verbum Incarnatum habuit et exercuit auctoritatem patris sibi divinitus factam.

Declaratio — *a*) Omnis auctoritas a Deo est, minime tamen eodem gradu participatur eademque excellentia, neque omnes qui imperant participant auctoritatem divinam, tum quod aliquando auctoritas eorum est usurpata, tum quod alias, aucto-

ritate quidem legitima, sed illegitime, abutuntur. — *b*) auctoritas *paterna* est, in genere auctoritatis, perfectissima, quia auctoritas ab *auctore* dicitur, et nemo magis auctor quam pater erga filium.

c) Sed sicut omnis paternitas a Deo Patre descendit, ita omnis auctoritas.

d) *Nulla* omnino creatura potuit per se auctoritatem habere in Verbum Incarnatum, quia Persona divina est infinite superior cuilibet creaturæ, a qua omnis creatura, tum in esse tum in operari, tota et totaliter tanquam ab auctore suo necessario pendet. Ideoque auctoritas in Personam Verbi Incarnati non potuit nisi de specialissima et ineffabili dignatione divina alicui creaturæ committi.

e) Hoc non obstante, in Beatissima Dei Genitrice Maria posuit Trinitas fundamentum quo congrue et connaturaliter divina Persona eidem dignaretur subesse. Atque hoc est divinæ Matris privilegium nulli creaturæ communicabile, haud secus ac divina Maternitas. Sed Beato Josepho communicata est eadem auctoritas, immo, ut in alia thesi dicetur, idem aliquatenus fundamentum.

f) Quum cultus, ex supra dictis, sit « actus subjectionis ad agnitam excellentiam alterius » (Franzelin), subjectio Verbi Incarnati erga ss. Matrem haud incongrue dici potest *cultus filialis* eidem exhibitus, quo cultu major nullus excogitari potest, tum quia est cultus filii, tum maxime quia est cultus Filii Dei. Deus honorare potest Sanctos atque honorat, eosdem colere non potest; Matrem vero revera coluit, sed cultu filiali.

Excellentia autem Matris non fuit tantum ejus sanctitas propemodum infinita, sed plenissima paternitatis divinæ erga eumdem Filium communicatio, ita ut in Maria Verbo Incarnato reluceret ipsamet Patris auctoritas. Utut creaturæ omnes creatæ et creabiles Beatissimam Mariam omni subjectionis significatione venerentur, minus honoris conferent, quam Verbum Incarnatum sua ei, ceu matri, subjectione contulit.

g) Hæc omnia, servata proportione, Beato Josepho debent aptari.

h) Thesis, prout jacet, certa saltem theologice est. Dico, prout

jacet, nam, si accipiatur de obedientia Verbi Incarnati Josepho exhibita ceu parenti, videtur esse de fide.

DEMONSTRATIO. *I Ex* SCRIPT. *1°. Joseph* (ait Angelus), *noli timere accipere Mariam conjugem tuam... Pariet autem Filium et vocabis eum Jesum.* — Ac paullo inferius, postquam dictum est de Maria quod *Peperit filium suum primogenitum*, statim de Josepho additur quod *Ipse vocavit nomen ejus Jesum.* (MATH., I, 21, 25.)

Circa quod observa : — *a*) Scriptura innuit esse nexum inter accipere Mariam conjugem et vocare ejus primogenitum, quasi unum esset alterius consequentia ; scilicet non potuit Josephus Mariam habere conjugem, quin connaturale jus haberet (humanum dico) nomine vocandi filium ejus promogenitum. Jesu nomen vocavit sola delegatione divina, haud tamen sine fundamento in re.

b) De Josepho solo, non de Maria dicitur quod « vocavit nomen ejus Jesum », quanquam et Mariæ Angelus eamdem curam demandasset. Id ex ea qua pollebat Virgo humilitate potest intelligi, vel etiam quod filii a matribus non solebant, aut saltem præcipue, nomen vocari : sed forte alia subest ratio. De Mariæ auctoritate materna ambigi non potuit, potuit, decursu sæculorum, de paterna auctoritate Josephi : ideoque visum est Spiritui sancto eamdem in claris ponere, dicens de Josepho, quod « vocavit eum Jesum ».

Unde argumentum. — Facta est divinitus Josepho auctoritas patris in Verbum Incarnatum, si Deus officium ei commisit explicite quod erat significatio naturalis et consuetudine recepta auctoritatis paternæ ; atqui sic. Ergo.

Inter Judæos nomen imponere filio conjugis suæ tantumdem erat ac profiteri se esse ejusdem filii patrem, atque proin sibi paternam auctoritatem adscribere. Ita, quum de Joanne Baptista vocando actum est, licet mater ejus eum vocasset Joannem, acquiescere noluerunt, donec pater, « cui innuerunt quem vellet vocari eum », « scripsisset dicens : Joannes est nomen ejus ». (LUC, I, 59).

2°. *Descendit cum eis* (Maria et Josepho) *et venit Nazareth et erat subditus illis* (LUC, II, 51).

a) Parebat Jesus, imperabant parentes, ea tamen auctoritate, quæ esset humillima desiderii manifestatio, nam hæc sufficit, immo requiritur, ad rationem perfectissimæ obedientiæ : quid non pareret filius parentum imperio, qui eorum paret desiderio ? Unde fuit in parentibus Christi imperium voluntatis perfectissimum, fuit in Christo perfectissima subjectio.

b) Fuit hæc subjectio non uno aut altero actu, uno aut altero die, sed habitualis et quotidiana, multos per annos.

c) Non fuit subjectio qualiscumque, sed filialis ; nam paullo superius Maria et Josephus dicti sunt parentes ejus, quasi ut ejus subjectionis reddatur ratio.

d) Fuit proinde subjectio amore plena, haud secus ac plena fuit amore auctoritas.

e) Tandem fuit subjectio humanæ quidem naturæ seu voluntatis, sed et aliquatenus Personæ divinæ, quippe quod actiones sunt suppositorum : « obediente Deo homini ».

3° Quoties Deus Pater de Filio, *qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (Rom. 1.3), grave aliquid disponere vult, id non Mariæ, ejus natura matri, sed Josepho notum facit. (Matth. II. 13, 19, 21, 22.) Ubique tractat illum Deus ceu familiæ patrem ; ubique Josephus patrem familias agit, paternam potestatem in Filium Dei gerentem.

II Ex Patribus 1° Ex s. *August.* — « Ambobus (Josepho et Mariæ) dicit Angelus, ut puero nomen imponant, ubi parentum declaratur auctoritas. » (Serm. 51 de cons. Matth. et Luc, c. 20. n. 30. — Item c. 10. n. 16.)

Et iterum, « Non dixit (Evangelista) : Erat subditus Matri, aut : Erat subditus ei ; sed : *Erat subditus illis.* Quibus subditus erat ? Nonne parentibus ? Ambo parentes erant, quibus ille subditus erat, ea dignatione, qua filius hominis erat ». (Serm. 51. c. 11. n. 19).

2° *S. Bernardus.* — « *Erat subditus illis.* Quis ? quibus ? Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus erat Mariæ nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam. » (Hom. s. *Missus*).

THESIS QUARTA

Inde nascitur Beato Josepho excellentia summa summaque ad Deum affinitas, cultum adpellans summum (1).

Declaratio. — Ut in secunda thesi, tres possunt heic partes distingui. Videntur singulæ theologice certæ.

Demonstratio. 1. **Pars.** *Excellentia summa absolute et relative*

A) Absolute. I *Ex* Patribus. — 1° *Implicite.* Omnes Ecclesiæ Patres ac Doctores, obedientiam Verbi-Hominis contemplati, admirantur et expavescunt; atqui, si ineffabilis fuit Dei obedientis exinanitio, resultat in illo, qui jus accipit ei ex officio præcipiendi, dignitas ineffabilis; ergo Patres, implicite, excellentiam Josephi, ceu paterna in Christum auctoritate fruentis, agnoverunt.

2° *Explicite, ex s. Bernardo.* — « *Et erat subditus illis.* Quis? Quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam. Mi-

(1) *Isolanus*, t. II, c. 14. « Hæc obedientiæ sublimitas majoris arguit dignitatis sanctum fuisse Josephum, quam ulla mortalium ingenia excogitare queant. Hebetis sunt ingenii, qui Joseph munera a Deo concessa non esse peculiaria fateantur. »

Salmeron, in Luc. tract. 17. « *Erat subditus illis.* Quid magni est subjectum esse parentibus filium? Sed nimirum cogitabat bonus et sapiens Evangelista quantæ esset humilitatis et submissionis tam multis annis eum, qui Sapientia erat Dei Patris, et in quo delitescebant omnes thesauri scientiæ et sapientiæ, subjectum esse voluisse Màriæ et Joseph. »

Osorius. (Conc. 2 de s. Joseph.) « Quod si ille Patriarcha Joseph dixit se vidisse solem et lunam adorare eum, sed noster Joseph vidit verum solem Christum et veram lunam Mariam sibi obsequentes et subditos, quod multo mirabilius est. Et si sol stetit ad vocem Josue, obediente Deo voci hominis — quæ quidem obedientia metaphorica fuit, — at Jesus vere obediebat Josepho et stabat ad ejus imperium. »

rare ergo utrumlibet et elige quod amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, *sive parentum excellentissimam dignitatem.* Utrinque stupor, utrinque miraculum : et quod Deus homini obtemperet, humilitas sine exemplo ; et quod homo Deo principetur, *sublimitas sine socio.* » (*I. Missus*) — Heic s. Doctor argumentum explicite profert, quod in aliorum doctrina implicite continetur.

Observa verba Bernardi : « Filii *benignissimam* ».— Quanquam obedientia Verbi Incarnati, parentibus exhibita, fundamentum haberet naturale humanum in Maria, necnon et in Josepho, hæc obedientia, non solum erga Josephum sed etiam erga Mariam fuit benignissima dignatio, sed ita, ut prima et excellentissima dignatio fuerit electio Mariæ ac Josephi in *parentes* : ex qua omnes aliæ pene innumeræ dignationes sponte sequebantur.

II. Ratione theologica. 1° Auctoritas alicujus eo excellentior est, quo sublimior ille qui subjicitur, quo profundior subjectio, quo perfectior titulus subjectionis : atqui ille qui subjectus fuit Josepho, omnium sublimissimus, Deus ; subjectio tam profunda quam distat ab homine Deus ; titulus, omnium perfectissimus et unione animorum strictissimus, titulus filii. Ergo auctoritas Josephi fuit omnium excellentissima.

Confirmatur. Omnis significatio honoris procedit a persona tanquam à principio *quod*, a voluntate, tanquam a principio *quo*, et terminatur ad personam. Unde, eo major erit significatio honoris, quo præstantior erit persona honorem significans et perfectior ejus voluntas, quia aliquid dant de se. Jam persona ejus qui erat subjectus Josepho fuit Persona divina, voluntas ejus omnium perfectissima, atque totam Josepho sese, ceu patri, dedit. Ergo maxima omnium significatio honoris.

2° In genere excellentiæ *a titulo*, nihil excellentius est quam auctoritas, quia nihil majus est quam ratio *auctoris*, a qua ratio auctoritatis procedit. Revera ratio eminentissimæ excellentiæ divinæ supra omnem creaturam est ratio auctoris omnium ; ideoque passim in Scripturis legimus : « *Ego Dominus* ». — Ast auctoritas paterna major est et perfectior, utpote quæ magis et perfectius participat de ratione auctoris, quasi seipsum reproducentis. — Auctoritas vero paterna in Verbum Incarna-

tum tam infinita est, ut soli Infinito competere et adscribi possit. Igitur, in operibus ad extra, excellentia Dei, omnium vel possibilium maxima, est ejus auctoritas paterna in Verbum Incarnatum. — Unde sic : Habere vel participare auctoritatem paternam erga Verbum Incarnatum est habere vel participare excellentiam, omnium, vel possibilium, maximam ; atqui Beatus Josephus participavit de auctoritate paterna erga Verbum Incarnatum ; ergo participavit excellentiam omnium, vel possibilium, maximam.

Esto quod Josephus non sit auctor naturæ creatæ Verbi Incarnati — quanquam nonnihil extrinsece concurrit ad ejus existentiam, ut infra dicetur, — attamen non est dubium quin ei Pater Æternus propriam in Filium suum Unigenitum auctoritatem communicaverit : adeoque auctoritas paterna in Verbum Incarnatum, utut per dispensationem et communicationem, in Beato Josepho inerat, secus impossibile fuit Jesum obedire *subjectumque* esse *parentibus*. Ergo inerat excellentia.

B) *Excellentia relative summa.*

1° Ex dictis eruitur. Nulli enim, nisi Mariæ ac Josepho, concessa est auctoritas Patris Æterni in Filium suum Unigenitum.

2° Ex s. Thoma. (1. q. 183. a. 4.) — « Videtur quod non omnibus hominibus Angeli ad custodiam deputantur. Dicitur enim de Christo (Philip., II, 17.) *quod est in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo*. Si igitur omnibus hominibus Angeli ad custodiam deputantur, etiam Christus angelum custodem habuisset. Sed hoc videtur inconveniens, cum Christus sit major omnibus Angelis. Non ergo omnibus hominibus Angeli ad custodiam deputantur. »

» Ad primum dicendum, quod Christus, secundum quod homo, immediate regulabatur a Verbo Dei ; unde non indigebat custodia Angelorum ; et iterum secundum animam erat comprehensor, sed ratione passibilitatis corporis erat viator. Et secundum hoc non debebatur ei Angelus custos, tanquam superior sed magis minister, tanquam inferior. Unde dicitur (Matt., VI, 11) quod « *accesserunt angeli et ministrabant ei.* »

Juxta Aquinatem nullus Angelus, vel supremus, debuit esse Incarnati Verbi custos, quia nullus potuit esse ejusdem supe-

rior. Unde sic : Qui superior factus est Christi excellentiam habet quæ nec concessa est nec concedi debuit Angelis ; atqui Josephus a Deo Patre factus est Christi superior, et quidem non titulo *custodis*, sed altiore et magis intimo *patris*. Ergo.

2. **Pars.** *Affinitas Deo summa.*

A) *Absolute*, quia ex dictis, auctoritas paterna Josephi in Christum est maxima approximatio ad Æternum Patrem, cujus participatur auctoritas in proprium Filium, maxima approximatio ad Verbum Incarnatum, cui repræsentatur velut identica auctoritas Josephi et auctoritas proprii Patris Æterni.

B) *Relative.* Nullus hominum, nulla creatura fuit unquam aut erit tam affinis auctoritati Dei Patris in proprium Filium. Nemo unquam participavit aut participabit de attributo quodam stricte divino. In ordine morali, neminem Deus potest magis affinem sibi (ex titulo) magisque devinctum facere.

Confirmatur ex s. Bernardo, l. c. « Quod homo Deo principetur, sublimitas *sine socio*. »

3. **Pars.** *Cultum adpellans summum.*

1° « Causa honoris est id ex quo ille qui honoratur habet aliquam excellentiam... » (S. Thom.) Ubi excellentia summa, ibi datur causa honoris summi ; atqui, ex dictis, ratione auctoritatis in Verbum Incarnatum, competit B. Josepho excellentia tum absolute, tum relative, summa. Ergo.

2° « Maxima reverentia debetur homini ex affinitate quam habet ad Deum. » (S. Thom.) Atqui, ratione, hinc auctoritatis, inde subjectionis, quæ dicta sunt, Josephus maximam omnium habet affinitatem ad Deum (ex titulo). Ergo.

3° Ille dignus est cultu summo, cui uni Filius Dei, multos per annos, cultum ex genere suo summum exhibuit : atqui uni Josepho Filius Dei exhibuit cultum ex genere suo summum, i. e. filialem. Profecto Ecclesia catholica falli nequit, cultum supremum tribuendo ei, quem ipse Deus factus homo, præ omnibus creaturis, filiali cultu prosequutus est.

4° *Confirmatur*. Auctoritas Petri suprema in Corpus Christi mysticum arguit ejusdem in Ecclesia supremam excellentiam, quæ, in s. Liturgia, agnoscitur et honoratur ; atqui auctoritas in Corpus Christi reale, qualis fuit auctoritas Josephi, multi-

plici de ratione, præstat auctoritati in Corpus Christi mysticum. Ergo magis agnoscenda et honoranda.

THESIS QUINTA

Deus Beato Josepho, ceu munus proprium, commissit omnia omnino patris officia erga Verbum Incarnatum, eaque vel ante Jesu nativitatem, ac multis continenter sequentibus annis ; imo per durissima multa rerum discrimina : unde resultat Beato Josepho summa excellentia, summa Deo affinitas, summus ei debitus cultus.

Declaratio. *a*) Puer, dum nascitur, vitam vivit adeo tenuem et omnis opis indigam, ut pater, si eam non foveat, augeat, confirmet, vix aliquid ei dedisse videatur. Ideoque curæ ac sollicitudini paternæ prope tam debet quam a patre recepisse vitam. Sed in his, sæpius, quid patri laboris ac ærumnarum ! Si mater in labore parit, nutrit in labore pater.

b) Puer, si res recte procedant, i. e., nisi a patre relinquatur, unicum patrem, sicut generatione, ita curis habere debet. Quum pater humanus filium tradit alteri educandum, plurimum a perfectione paterna deficit, utpote qui munus personale paternitatis deserit. — Igitur solius Patris Æterni fuit Unigeniti Filii sui necessitatibus providere, tum quia solus ejusdem Pater, tum quia nihil minus exposcebat infinita Filii dignitas. Verum noluit hæc quasi officia paterna, ipsi soli propria, immediate per se obire : hominem sibi suffecit, cui munus, ut ita dicam, Æterni Patris totum committeret. Neque tamen aliquid de perfectione paterna defecit, neque minus Filio providit.

c) Re quidem vera, quamvis unicus et antonomastice Pater Verbi Incarnati, pater tamen non fuit naturali humanæ Filii conditioni attemperatus, neque fuisset, etiamsi miraculis eidem omnia necessaria providisset. Ideoque, sicut Verbum assumpsit *physice* humanam naturam, ita Pater Æternus aliquo modo *moraliter* assumpsit humanam personam, quæ humanæ naturæ Verbi esset proportionatus pater. Unde duplici

ratione requirebatur (ex quadam convenientia) *homo* qui patrem Verbi Incarnati ageret ; tum quia non conveniebat, maxime ob finem Incarnationis, humanam Christi naturam miraculis tantum indesinenter sustentari, tum etiam quia sola hominis cura paterna aptabatur humanæ Verbi conditioni. Aliunde vero Pater Æternus nullatenus relinquebat Filium suum Unigenitum. Ergo debuit eligi homo, patrem quidem Verbi Incarnati plenissime agens, sed unicam veluti personam cum Æterno Patre moraliter constituens. Dico, « *patrem* plenissime agens », tum quia debuit agere *humano modo* Patrem Æternum, tum quia *extraneus* quisque non potuit *connaturaliter* patris curam et sollicitudinem plenissime agere, ut modo dicetur. Ita revera fuisse de *auctoritate paterna*, jam probavimus ; idem de omnibus curis paternis heic intendimus probare.

d) Et vero Maria profecto paternitatem Æterni Parentis longe plenius ac mirabilius participavit ; innumera tamen fuere subsidia, vitæ Christi necessaria, quæ vix, aut etiam nullo modo, poterant a sola matre ministrari, nec certe humanæ pueri naturæ contemperata, quæ curam paternam æque exigit atque maternam.

e) Cæterum, ipsa Dei Genitrix sponsum hominem connaturaliter adpellabat. Sponsa quidem fuit ad ineffabile cum Deo connubium elevata ; sed quamdiu hominem sponsum non habuit neque habuit humanæ suæ conditioni proportionatum. Quo namque pacto, sine sponso homine, potuit, citra miraculum, famam propriam et famam filii servare ? quo pacto potuit onera matris tenellæ et virginis castissimæ, per tot rerum discrimina, connaturaliter ferre ? quo modo sensus purissimos humanæ sponsæ, ut omnibus sponsis esset exemplar, experiri ?

f) Igitur, si velimus res considerare, non contentiose, sed juxta connaturales exigentias, ac citra miraculosum singulis momentis Dei interventum, debuit Verbum Incarnatum habere in humanis patrem, qui officia paterna illi omnia continuo præstaret ; debuit Dei Genitrix Virgo virum habere, qui officiis omnibus sponsi illam usque prosequeretur. Quæstio an ita factum sit. Ita.

g) Quatuor in thesi partes, quæ singulæ videntur saltem theologice certæ ; immo prima, in fundo accipi potest de fide.

Demonstratio. 1. Pars *Deus B. Joscpho, ceu munus proprium, commisit omnia patris officia erga Verbum Incarnatum per multa rerum discrimina.*

I. Ex Scriptura. — *1° Et omnes* (concives) *dicebant* : *Nonne hic est filius Joseph* ? (Luc xiv, 22) — *Nonne hic est filius fabri* ? (Matt., xii, 55).—*Et dicebant* : *Nonne hic est filius Joseph* ? (Joan., vi, 42.) — Unde sic : Impossible fuit concives Jesu dicere eum filium Josephi, nisi ipsimet fuerint oculis experti Jesum adamussim egisse filium Josephi et adamussim Josephum egisse patrem Jesu ; atqui id fieri non potuit, quin revera cumulate Josephus omnia patris officia obierit, quin Jesus officia filii omnia. Sed Josephus non potuit hæc officia obire, nisi ei fuerit divinitus demandatum. *Objective* res ipsa postulabat mandatum seu delegationem Patris Æterni ; *subjective* non poterat scire Josephus quis esset Jesus et proprio marte officia patris erga Verbum Incarnatum sibi assumere.

2° Passim in ss. Paginis Josephus perhibetur complens omnes patris partes. Sponsam prægnantem comitatur ; Puerum circumcidit et vocat proprio nomine Jesum ; in templo præsentat ac redimit ; in exsilium ducit indeque reducit ; Hierosolymam cum eo pergit, ibique amissum quærit et invenit ; Nazarethi tandem amplexibus fovet, auget laboribus, consilio mandat. Si patrem natura fecisset Josephum, nec plura illi, nec magis continua, nec duriora patris officia complesset.

Confirmatur 1° ex prima thesi. Divinitus accepit Josephus nomen patris, parentis Christi : ergo hoc titulo erga Christum complevit quæcumque complevit : ergo cura ejus et sollicitudo fuit cura et sollicitudo patris.

Confirmatur 2° Josepho divinitus facta fuit auctoritas paterna : ergo cura et sollicitudo paterna, quæ necessario comitantur et consequuntur, fuerunt ei demandatæ.

Confirmatur 3° Quoties Pater Æternus aliquid de Filio suo disponere vult, id non matri, sed Josepho, ceu patrifamilias aperit.

II. *Ex* Patribus. Idem Patres unanimi ore profitentur.

a) *Origenes.* « Pro fideli ministerio, patris ei vocabulum Scriptura concessit. » (Hom, 12 in Lev.)

b) *S. Cyril.* « Joseph pater Christi dictus est, non ratione generationis, sed ratione curæ in alendo educandoque collatæ. » (Cath. 7. n° 9.)

c).*S. Chrysost.* Angelum sic Josepho loquentem inducit : « Etsi nihil habeas in hac generatione commune, tamen quod est proprium patris, quodque nihil obfuscat Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo, ut scilicet nato nomen imponas : tu enim illum primum vocabis. Quanquam enim non sit filius tuus, tu tamen curam erga illum et sollicitudinem ostendes parentis : et propterea te illi ab ipsa statim nominis impositione conjungo ». (Hom. IV in Matt., n. 6.)

Ac alia sexcenta.

III. Ex Encyclicis Litteris Leonis XIII. — « *Divino consilio* custos Filii Dei fuit (Josephus), habitus opinione pater... Jamvero ex hac duplici dignitate (sponsi Virginis et patris Christi) officia *sponte sequebantur*, quæ patribus familias *natura præscripsit*, ita quidem, ut domus divinæ, cui Joseph præerat, custos idem et curator et defensor esset *legitimus* et *naturalis*. Cujusmodi officia ac munia ille quidem, quoad suppeditavit vita mortalis, revera exercuit. Tueri conjugem, divinamque sobolem amore summo et quotidiana assiduitate studuit ; vitæ discrimen regis invidia conflatum prohibuit, quæsito ad securitatem perfugio ; in itinerum incommodis exsiliique acerbitatibus perpetuus et Virgini et Jesu comes, adjutor, solator exstitit. »

Nihil clarius, melius, efficacius. Unum duntaxat aut alterum notavero.— *a*) Juxta Pontificem, officia paterna Josepho ex patris titulo sponte sequebantur ; tam stricte Josephum premebant, quam quæ patribus familias natura præscripsit : naturalia fuere, quanquam, uti res postulabat, maxime supernaturalia. — *b*) Vitam Jesu salvando, quasi redonavit ipsam. De vita Jesu servata Josepho tota debitrix est Ecclesia. — *c*) Hæc porro omnia, non *extranei*, sed *patris* titulo, i, e., omnium perfectissimo.

2. **Pars** *Excellentia summa.*

A) *Absolute.* Excellentiam eo majorem aliquis sibi adquirit,

quo major est persona quam datur ipsi tractare et contrectare, quo plura, quo majora, quo magis continua sunt officia et beneficia quæ ei præstat, quo longiore tempore, quo pleniore sui abnegatione, quo tandem altiore et perfectiore titulo ; atqui horum omnium singula Josepho aptantur gradu absolute summo. Ergo.

B) Relative. Nemo, in terris vel in cœlis, Verbum Incarnatum tractavit et contrectavit uti fecit Josephus ; nemo illi servavit vitam ; nemo vitam ejus, labore improbo et quotidiana assiduitate, levavit, auxit, jucundavit ; nemo tanto tempore, in tantis necessitatibus, sed maxime pari patris titulo.

Confirmatur verbis Methodii sublimissimam Mariæ dignitatem exaggerantis : « Euge, euge, quæ debitorem habes, qui omnibus mutuatur : Deo enim universi debemus ; tibi autem etiam Ille debet ». (de Purif.)

3. **Pars.** *Affinitas Deo maxima, tum absolute tum relative.*

Ex modo dictis satis patet, quin immoremur. Hæc omnia approximant Deo, uniunt quam maxime Deo, efficiunt Josephum humanæ Dei familiæ patrem, Patris Æterni locum tenentem, efficiunt Deum debitorem Josepho. Hujusmodi Deo affinitas nulli data est creaturæ vel dabitur unquam

4. **Pars.** *Cultus summus.*

Si cultus proportionatur alicujus Sancti excellentiæ et affinitati, quam habet ad Deum (s. Thom.), ex dictis pronum est concludere Beato Josepho deberi cultum summum.

Confirmatur. Sancta Mater Ecclesia nulli Cœlitum, post Dei Genitricem, tanti boni debitrix est quam Josepho : ideoque nulli tam debitrix est honoris. Nulli quippe Cœlitum, post Dei Genitricem, tam debitrix est de Verbo Incarnato. Audiantur duo clarissimi præcones.

S. Bernardus. « Ille (patriarcha Joseph) frumentum servavit, non sibi, sed populo ; iste (Josephus noster) panem vivum e cœlo servandum accepit tam sibi quam toti mundo. » (Hom. 2, *Missus.*)

S. Bernardinus. — « Si compares eum (Josephum) ad totam Ecclesiam Christi, nonne iste est homo electus et specialis (i. e., unicus et unius speciei) per quem et sub quo Christus est or-

dinate et honeste introductus in mundum ? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est, sic profecto, post eam, huic debet gratiam et reverentiam singularem... Merito figuratur per illum patriarcham Joseph qui populis frumenta servavit. Sed et hic illum præcellit, quia non solum Ægyptiis panem corporalis vitæ, sed *omnibus electis* panem de cœlo, qui cœlestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit. » (Serm. 1 de s. Joseph.) — Hanc laudem Ecclesia probat et officio de Patrocinio s. Josephi inserit.

Objicies 1° Alii bene multi vitam Jesu corporalem aluerunt.

R. — *a*) Aluerunt per accidens, per transennam, quum ipse sibi potuisset subvenire. — *b*) Nullus aluit ex officio et titulo patris, immo titulo Patris Æterni, nullus tam propriis sudoribus et anxietatibus ; nullus ei servavit vitam in discrimine summo. — *c*) Sed non in solo alimento præbendo constabat cura et sollicitudo paterna.

Objicies 2° Parere et alere Christum in animabus nonne majus est quam alere vitam ejus corporalem ?

R. Minime gentium. — *a*) Et primum objectio canit extra chorum, nam præscindimus ab ordine gratiæ. — *b*) Parere et alere Christum in animabus est quid metaphoricum et mysticum. Unde huc redit objectio : præstantius est parere et alere Corpus Christi mysticum, quam parere et alere Corpus Christi reale : dignitas Dei Genitricis cedit dignitati cujusvis concurrentis ad infundendum, vel in una anima, gratiam Christi ! — Esto quod Josephus non aluerit nisi Corpus Christi reale : infinite quid præstantius egit ac sublimius, quam alendo duntaxat Corpus Christi mysticum. Ratio est quod in primo casu procuratur directe et immediate bonum ipsius Personæ divinæ ; in altero non procuratur nisi bonum creaturæ, quanquam istud tandem cedat in gloriam Dei. Potuit quidem Christus pluris facere salutem vel unius animæ, quam proprii corporis vitam ; sed id ipse solus potuit velle, amore actus ineffabili. Et sane, quanquam Deus « sic dilexerit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret », non destitit ab amando Illo supra omnes et omnia, supra infinitos numero mundos.

c) Sed revera Josephus et ipse ad *partum* et nutrimentum Corporis Christi mystici præprimis adlaboravit, quanquam non eadem, sed superiore ratione, quam Apostoli. Bernardum ac Bernardinum modo audivimus. Insuper, concursu suo, licet extrinseco, ad ipsam Incarnationem, ut brevi dicetur, concurrit ad totam gratiam ex Incarnatione derivandam, non in una tantum vel altera mundi plaga, sed in toto orbe terrarum, non uno aut altero temporis puncto, sed ab origine mundi usque ad consummationem sæculi. Eligendo Josephum ad munus patris Christi, Deus « ei dedit et ministrum esse salutis ». (Hym. fest.) — Sed hæc aptius et fusius infra.

THESIS SEXTA

Beatus Josephus paternos sensus, speciatim amorem paternum ad Deum Incarnatum habuit : habuit Deus Incarnatus ad Josephum filii sensus et amorem ; et quidem, utrinque, gradu ineffabili ; unde oritur eidem Beato Josepho excellentia summa summaque Deo affinitas : in quibus consequenter fundatur cultus summus.

Declaratio. — *a*) Sensus paterni ii sunt quos experitur pater, nimirum inclinatio vehemens naturalis ad bene in omnibus faciendum puero, utpote qui suiipsius est veluti pars et reproductio.

b) Quod puer sit veluti pars patris ac ejus reproductio est quidem *causa* sensuum paternorum, minime tamen id ipsos formaliter constituit.

c) Ex eadem causa nascitur inclinatio naturalis ad procurandum filio, nihil parcendo laboribus, omnia vitæ necessaria vel utilia immo et jucunda ; nascitur anxietas avertendi aut levandi omne malum, intimus dolor de malo quod averti vel curari non possit... Sed maxime nascitur amor, quo pater filium longe magis attendit quam seipsum, in eo quiescit, eique optat omne bonum.

e) Sensuum paternorum causa naturalis physica nulla unquam exstitit in Beato Josepho (maternorum, incredibili perfectione, exstitit in Maria). Exstitit tamen naturalis quædam causa moralis, ut dicemus in sequenti thesi, eaque potentissima.

f) Sed Deus omnem naturalem causam, vel physicam vel moralem, sensuum paternorum supplere potest ; eosdem potest homini infundere, vel gradu qui superet omnem causam naturalem.

Hac de ratione dicimus in thesi Josephum omnes patris sensus naturales ad Deum Incarnatum expertum esse, gradu quidem ineffabili.

g) Deus Incarnatus potuit ad Josephum sensus filii experiri quos et quo gradu voluerit.

h) Ad rei distinctionem et vim majorem, octo sunt partes in thesi, quarum quælibet videtur theologica certitudine gaudere.

DEMONSTRATIO 1. Pars. *Beatus Josephus paternos sensus expertus est ad Verbum Incarnatum.*

I *Ex* SCRIPTURA efficaciter innuitur. — 1° Judæis, quotidie ss. Familiam tractantibus, Josephus pater fuit paternitate omnibus suis numeris absoluta ; atqui id fieri non potuit, nisi Josephus sensus paternos expertus esset. Ergo. Revera impossibile est moraliter hominem diu et cumulate patrem agere ex persona aliena et fucata, scilicet absque ullo paternitatis sensu. Igitur omnes Josephi concives ejus sensuum paternorum testes dicendi sunt.

2° Ex tota narratione evangelica perhibetur Josephus munera paterna omnia continenter, multis annis, exercens ; atqui impossibile moraliter est Deum voluisse Josephum omnia diu patris munera exercere absque sensibus paternis. Nam munera patris exercere absque sensibus paternis est status violentus, innaturalis, quia nullum datur principium intrinsecum. Ergo, si virtus divina causam physicam sensuum paternorum potest supplere, certo certius in Beato Josepho supplevit. Simul atque Deus officia paterna ei commisit, infudit pariter principium connaturale intrinsecum, videlicet sensus paternos omnes.

3° *Confirmatur*. Impossibile moraliter est Deum, vocando Josephum ad ferenda omnia patris Incarnati *onera*, — ac onera quanta ! — eumdem tractasse crudeliter ; atqui, si Deus, sup-

plens physice naturam, paternos sensus Josepho non infudit, eum crudeliter tractavit. Ergo.

Major est evidens ; attamen observa : *a*) onerum gravitatem, multitudinem, exacerbationem, longitudinem ac latitudinem, repentinam necessitatem, in re supremi momenti... *b*) Impossibile est Deum tractasse crudeliter Josephum in ipso eodem mysterio, quo jactabat infinitam suam ad homines charitatem et misericordiam (*Sic Deus dilexit mundum...*) ; *c*) sed adhuc magis impossibile, quum Josephus plenissimam sui jacturam in honorem Dei faceret.

Minor. Paterni sensus, sicut sunt principium intrinsecum ad ferenda onera paterna, ita sunt etiam, in patris laboribus, solatium et levamen. Unde : si Deus non infudit Josepho paternos sensus, simul atque gravissima omnia Incarnationis onera imposuit, voluit Josephum onera illa gravissima portare, absque solatio vel levamine connaturali ; atqui hoc fuisset Josephum crudeliter tractare.

2° **Pars**. *Speciatim Josephus paternum amorem habuit ad Verbum Incarnatum.*

Declaratio. *a*) Amor paternus est omnium sensuum paternorum princeps et origo. Amor maternus suavior, paternus fortior ; uterque efficacissimus, uterque benevolentia conflatus in filii bonum confluit.

b) In genere amoris, amor paternus (ut maternum taceam) est omnium perfectissimus, immo natura sua alterius speciei et supremæ. Possunt equidem dari varii gradus in amore paterno ; sed ex genere suo, prout etiam includit amorem sponsæ, omnes alios vincit ac superat. Pater longe magis naturaliter amat filium quam a filio redamatur, quia amor magis descendit quam ascendit, utpote diffusivus.

c) Pater Æternus, a quo omnis paternitas, solus per se potest amare amore paterno Filium suum Unigenitum sibi coæqualem. Filius Unigenitus solum Patrem Æternum filiali amore potest redamare. Quod quidem, in divinis, debet intelligi, nulla admissa imperfectione, nullo admisso limite, de amore substantiali. Sed Verbum Incarnatum filiali amore etiam creato redamat Patrem ineffabiliter.

d) Si quem Filius Dei amore filiali prosequitur in terris vel in cœlis, hoc nequit esse, nisi quia Pater huic tali aliquod suæ divinæ paternitatis radium immisit. Si quis amat Filium amore paterno, hoc nequit esse, nisi quia Pater huic aliquid sui proprii amoris infudit.

Demonstratio. *Ex* Scriptura. *1° Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes.* — Super hoc Bern. Senensis : « Virgo Josephum appellavit patrem Jesu, quia sensus doloris quem habuit de Jesu perdito, verum in eo monstravit patris affectum ». (l. c.) — Nimirum quærebat et dolebat pia mater amore materno ; paterno amore quærebat et dolebat Josephus.

2° *Confirmatur* ex dictis in prima parte. Impossibile est sensus paternos aliquem experiri, quin amorem paternum, horum sensuum radicem, experiatur. Scilicet impossibile est exercere diu, per multa rerum discrimina, perfectissime, omnia officia patris sine amore paterno, quia secus esset quid innaturale, violentum ; sed Scriptura docet Josephum omnia patris officia exercuisse diu, per multa rerum discrimina, perfectissime. Ergo implicite docet Josephum habuisse amorem paternum.

Idem dicatur, et *a fortiori*, de oneribus paternitatis, quæ connaturaliter *levari* non possunt nisi paterno amore. Deus non potuit velle i. e, certe non voluit, Josephum portare omnia Incarnationis onera, absque ullo connaturali solatio.

3° *Confirmatur*. Scriptura implicite docet Verbum Incarnatum amore filiali amavisse Josephum, ut modo dicemus : atqui non potuit Verbum Incarnatum filiali amore amare Josephum, quin Idem a Josepho paterno redamaretur amore.

4° *Confirmatur*. Non potuit Josephus conjugali amore prosequi sponsam suam virginem, quin connaturaliter paterno etiam amore filium ejus prosequeretur.

II. *Ex* Patribus. Jam Bernardinum audivimus. En V. Rupertus, s. Bernardi coævus. — « Spiritus sanctus in ambobus (Maria et Josepho) præsidens, conjugem viri hujus fidei commisit et, de carne virginis hominem formans, *paternum* viro huic, qui nascebatur, infantis, amorem penitus infudit. » (In Matt., l.)

Cæterum, ex duplici ratione superius facta, ii omnes qui docent — cum Scriptura — Josephum officia et onera patris su-

iisse, docere pariter censendi sunt eumdem Josephum experum esse sensus et amorem patris.

Confirmatur ex s. LITURGIA.

Adest *amoris particeps*
Curæque Joseph conjugi,
Quos mille jungit nexibus
Virtutis auctor gratia.
Hi diligentes invicem
In Jesu amorem confluunt,
Utrique Jesus mutuæ
Dat caritatis præmia.

(*Offic. ss. Famil. ad Laud.*)

III. *Ex* DOCUMENTIS ECCLESIAST. Expressis terminis Leo XIII thesim nostram tuetur, in formula orationis, quam toti Ecclesiæ, quotannis, integro Rosarii mense, recitandam præscripsit. — « *Perque paternum*, quo Puerum Jesum amplexus es *amorem*... » Lex orandi, lex credendi.

Idem fusius in Encyclicis Litteris *Quanquam pluries*. — « Jamvero ex hac duplici dignitate (patris ac sponsi) officia *sponte* sequebantur, quæ *patribus familias natura præscripsit*... Cujusmodi officia ac munia ille quidem, quoad suppeditavit vita mortalis, revera exercuit. Tueri conjugem divinamque sobolem amore summo (quem patribus familias natura præscripsit) et quotidiana assiduitate studuit... »

3. Pars. *Habuit Deus Incarnatus ad Josephum filii sensus et amorem*

I *Ex* SCRIPTURA. *Et erat subditus illis*, scilicet « parentibus ». (LUC 11. 51.) De fide est Jesum Josepho fuisse obedientia subjectum et quidem ceu parenti ; atqui non potuit connaturaliter Jesus Josepho ceu parenti obedientia subjici, nisi sensus, ac speciatim amorem filii experiretur.

Nempe idem fit ac superius argumentum ; obedientia filii, connaturaliter, plena debet esse amore filiali, secus est quid violentum et inconditum ; est obedientia servilis.

2° *Confirmatur*. Ex modo dictis Josephus ad Jesum ferebatur sensibus paternis ac paterno amore ; atqui id connaturaliter fie-

ri non potuit, nisi sensibus et amore filii responderet Jesus.

II *Ex* PATRIBUS. *1° S. August.* — « *Non sciebatis quia oportet me in his esse, quæ Patris mei sunt ?*... Ecce, inquit aliquis, non se concessit esse filium Joseph. Attendite aliquanto patientius, fratres... Non enim sic se volebat filium illorum, ut non intelligeretur Filius Dei... Videtis ergo, fratres, quod non ita dixerit : *Oportet in his quæ Patris mei sunt me esse* ut intelligeremus quasi dictum : Vos non estis parentes mei. Sed parentes illi temporaliter, Pater ille sempiterne... Non itaque propterea non fuit pater Joseph. » (Serm. 51 de cons...) Profecto vult Augustinus Jesum, etiam erga Josephum, omnes numeros filii exegisse.

S. Bernard. Sen. « Quis deneget, obsecro, quod ipsi Josepho tenenti Christum in brachiis, aut confabulanti cum ipso, Christus, sive infans, sive adultus, ingereret et imprimeret ineffabiles sensus atque jucunditates de semetipso, et hoc, cooperante gratia Christi, *cum filiali aspectu*, afflatu atque complexu ? » (l. c.)

III. *Ex* DOCUM ECCLESIAST. Leo XIII. (Litt. Encycl). — « Qua ex re consequens erat ut Verbum Dei Josepho modeste subesset dictoque esset audiens omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est. » — Honor mere externus, haud secus ac obedientia, parenti a filio adhibitus, non est parente neque filio dignus, innaturalis est atque violentus, quamdiu filiali non informetur amore.

4. **Pars.** *Sensus paterni ac amor, quos habuit Josephus, gradu fuerunt ineffabili.*

DEMONSTRATIO. Quadruplici ex capite : inspecto hoc amore in se — inspecto fonte hujus amoris — inspecto amore filiali Verbi Incarnati — inspecta virginitate Josephi.

1° Beatus Josephus Verbum Incarnatum debuit amare duplici titulo, qui gradum summum in scala amoris obtinent ; atqui id fieri non potuit nisi amaverit gradu ineffabili.

Etenim, debuit Josephus Verbum Incarnatum amare uti Deum et titulo patris ; porro hæ duæ rationes amandi gradum summum in scala amoris obtinent.

Et sane, objective loquendo, amore paterno nihil altius, nihil

perfectius esse potest in linea amoris, quia per se homo nemini potest habere majorem benevolentiam quam filio : filius quippe est veluti sui reproductio, estque fructus compartis suæ, quam debet præ omnibus amare. Ideo a patre nullus extraneus, utut amicissimus, majorem benevolentiam, aut etiam æqualem, regulariter obtinere debet. Amicitia enim est *voluntaria* quædam (i. e., a sola voluntate procedens) animorum velut adoptio mutua ; adoptio autem ex sola voluntate procedens, est, aut debet esse, inferior unione animorum naturali. Unde, ex natura rerum, non modo amor paternus vincit quemlibet alium amorem, sed ab omni alio specie differt. Dico, *amor paternus*, quatenus *paternus*, sive a natura, sive a Deo infundatur. Scilicet : vel non datur amor paternus, vel, si datur, superat alium quemque. Cæterum, obiter notetur, amor paternus Beato Josepho, non a solo Deo infusus est, sed fundamentum firmum, quanquam ordinis mere moralis, in ipsa natura habuit, ut modo dicetur.

Aliunde Deus est infinite amabilis, tum in se, tum relative ad nos, maxime in mysterio ineffabili Incarnationis, ac proinde amorem summum exposcit, ita quidem ut nulla creatura amore suo æquare vel exhaurire hanc infinitam amabilitatem unquam possit.

Igitur, si Beatus Josephus *debuit* amare Deum amore paterno, Eum debuit amare amore *excessivo*, immo amore ab omni alio diverso. Utut enim intensus sit amor alterius creaturæ erga Deum, nunquam erit aut poterit esse amor paternus.

Amor patris humani ergā filium potest, immo debet habere limites ; amor paternus Josephi fuit, ex natura sua, illimitatus, quia, licet titulus *patris* limites amoris patiatur, quum, in casu, objectum hujus amoris, Deus, limites positive excludat, inde est quod amor Josephi, quantumvis excessivus, nec excedere nec exhaurire infinitam Filii amabilitatem aut exigentiam potuerit.

Ergo amor Josephi erga Verbum Incarnatum, vel non fuit paternus, vel, si paternus fuit, connaturaliter, superavit, tum absolute, tum relative, vel etiam specifice, omnem alium amorem creaturæ erga Deum. (Fac intelligas inde ejus sanctitatem.)

Id porro ille solus mirabitur, qui non audierit Paulum dicentem *Nusquam enim Angelos apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari* (Hæbr. II, 26). — Id est, nullum angelum voluit habere patrem aut matrem : atque ideo a nullo angelo expetivit maternum vel paternum amorem. Quid mirum si mater et pater ejus Eum amaverunt supra omnium angelorum amorem ?

Huic argumentationi non datur nisi unum effugium, scilicet, quod hic amor paternus, quem supra firmiter, ut opinor, cum Leone XIII statuimus, *connaturalitati* suæ non fuerit permissus. Sed omnia argumenta, quæ fecimus ut illum statuamus, videntur eadem vi exigere, ut connaturalitati suæ, i. e., amoris paterni erga Deum, permitteretur. Ac, si non sufficiant, sint alia. Igitur

2° Caritas Josephi erga Verbum Incarnatum declaratur ineffabilis, ex fonte a quo processit, scilicet a Patre Æterno ; et quidem dupliciter, inspecto fonte ipso, et inspecto termino ad quem hæc caritas immediate ordinatur.

A) Inspecto fonte. Pater Æternus est substantialis Paternitas, totus quantus est Pater, prout a Filio et Spiritu sancto distinguitur, ab eoque procedit omnis accidentalis paternitas. Quum igitur, accidentaliter quidem, communicavit Mariæ ac Josepho (licet impari ratione) propriam suam substantialem paternitatem, non, sicut cæteris, erga alienum, sed erga proprium suum Unigenitum, communicavit sane amorem maternum et paternum ad imaginem et similitudinem proprii sui æterni et infiniti amoris paterni. Atqui hoc importat in Josepho amorem paternum, qui, connaturaliter, omnem alium superet. Nam nulli alteri creaturæ Pater Æternus communicavit tam sublimem, tam ineffabilem paternitatem, seu tam similem et affinem suæ propriæ paternitatis. Ergo nulli alteri creaturæ communicavit amorem paternum, tam similem, tam affinem proprii sui amoris paterni, ideoque tam ineffabilem.

« Quum Æternus Pater, ait Suarez, summa sapientia et providentia, hoc nomen sibi proprium huic viro communicaverit, *satis significavit* ad quantam dignitatem eum evexerit, cum nomine simul officium et curam (videlicet caritatem) paternam,

magna ex parte (omni parte humana), tribuendo. » (*Disp. 8.*) — « Satis significavit », i. e., significatio tantum se debet protendere, quantum signum et res ipsa postulant. Communicatio propriæ suæ paternitatis, erga proprium suum Filium Unigenitum, non potest significare nisi communicationem proprii sui amoris paterni erga eumdem Filium Unigenitum. Nam in omni paternitate, quod ex ea immediate fluit, ut primum et præcipuum, est paternus amor. Ergo Pater Æternus satis significavit se communicasse Josepho amorem paternum ineffabilem.

B) *Inspecto termino. a*) Quum Æternus Pater voluit Filio suo Unigenito providere parentes, qui eum parentum foverent amore, non potuit non infundere eis paternum et maternum amorem, qui responderet, tum excellentiæ hujus Filii, tum amori quo Ipse Eum diligebat. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.*. Ex hoc duplici capite, omnia dedit Filio absque mensura : et parentes ergo dedit amantes absque mensura.

b) *Confirmatur. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.* (Joan., xiv, 27.) Si Pater amat omnes qui amant Filium, quanto magis amabit illum qui eidem Filio devinctus est titulo patris ! quanto magis efficiet ut eum summo prosequatur amore paterno !

3° Ex quinta parte mox probanda, Jesus Josephum filiali amore amavit ineffabiliter ; sed huic amori non potuit non respondere amor paternus ineffabilis.

Hi diligentes invicem
In Jesu amorem confluunt,
Utrique Jesus *mutuæ*
Dat caritatis præmia.

(*SS. Fam. ad Laud.*)

4° Beatus Josephus, cum Virgine Beatissima, virginitatem vovit. (s. Thomas. 3 q. 29) Hoc igitur voto Josephus paternitatis humanæ sacrificium obtulit Deo, eoque perfectius quod super altare conjugii. Accepit Deus holocaustum in odorem suavitatis, sed mirabiliter paternitatem naturalem compensavit dono Filii sui Unigeniti. Unde sensus paternalis erga Jesum fuit quidem Josepho donum gratuitum, omnium donorum prætantissi-

mum, sed simul fuit, aliquatenus de congruo, *præmium*. Nihil igitur mirum quod, etiam ex hoc capite, Pater Æternus Josepho auxerit amorem paternum gradu ineffabili.

5. Pars. *Amor Jesu erga Josephum fuit ineffabilis.*

1° Sicut Pater est substantialis paternitas, ita Filius filiatio substantialis, a qua alii filii, accidentaliter tantum, seu secundum quid, participare dicendi sunt. Quo igitur pacto, quave perfectione, amorem filialem *Filiatic subsistens* ad parentes habuerit, sciat ille solus qui habuit. Pro duplici sua voluntate, duplici amore Verbum Incarnatum parentes amavit. Licet Maria naturam divinam non dederit Verbo, fuit tamen verissime Dei Genitrix, atque proin a Verbo fuit dilecta amore filiali divino, quia natura humana, quam genuit Maria, nunquam non fuit natura Verbi. Si sola voluntas humana Christi amaret Mariam amore filiali, non esset Maria mater Verbi Incarnati. Igitur voluntate sua divina, Ille qui est Filiatio subsistens amavit Mariam amore filiali. Hæc sane accipienda sunt eo modo quo theologi loquuntur de operationibus Dei ad extra: sed nihilominus exstitit terminative amor filialis Verbi erga matrem, cum fundamento reali in Maria.

At vero amorem filialem, quem amor ille divinus Filii subsistentis incenderit in voluntate humana Christi, quis assequi cogitando possit? Excedit omnem intellectum creatum amor humanus Verbi Incarnati erga matrem.

Jam age, licet non eodem omnino fundamento, Verbum Incarnatum filiali etiam amore prosequebatur est Josephum. Ergo amor ille, increatus simul et creatus, gradum attigit incomprehensibilem. Scilicet, semel posito quod Verbum Incarnatum *parentes* sibi elegerit Mariam et Josephum (ut pluries docet Evangelium), volueritque eos *filiali* amore prosequi, satis significavit velle se eos amare gradu, qui deceret Filium subsistentem, nimirum gradu ineffabili.

2° Sicut unicum Patrem habet Verbum Incarnatum, ita unicum Patrem amare potest. Ut ergo alium quempiam amore filiali dignetur, necesse est, ut videat in eo splendere aliquid paternitatis divinæ, ita ut amando matrem et patrem temporalem, eosdem cum Æterno Parente velut unico amore filiali com-

plectatur. Jamvero, si ratio amandi Mariam et Josephum fuit Verbo Incarnato ille filialis amor, quem ad Patrem Æternum habet, capiat qui capere possit, quis fuerit filialis Ejus erga parentes amor.

3° *Confirmatur*. Cor Jesu divinissimum rex est omnium cordium, omnium cordium superexcedit pene infinite facultatem amandi ; sensu gratitudinis donatum est ineffabiliter exquisito. Sed titulo grati animi tanto magis aliquem diligit, quanto plura numero et magnitudine recipit ab eo beneficia, ac etiam quanto cum majore studio et labore comparata. Porro beneficia summa et omnigena recepit a Maria et Josepho, qualia certe non recepit ab alia creatura ulla ; hæc autem fuerunt ipsi carissime comparata. Ergo.

4° *Confirmatur*. Dicebamus supra amorem potius descendere quam ascendere ; ideoque connaturaliter debuissent Maria et Josephus magis amare Jesum quam ab ipso redamari. Verum, licet Jesus seipsum fecerit eis minorem, mansit tamen infinite superior ; quare longe magis parentes amabat quam a parentibus amabatur. Nisi dicamus pugnavisse amorem Jesu erga parentes et amorem parentum erga Jesum, quia uterque superior, neque vicisse amorem Jesu, nisi quia tandem fuit amor Verbi Incarnati.

Utrique Jesus mutuæ
Dat caritatis præmia.

6. **Pars.** *Excellentia summa.*

A) *Absolute*. 1° Apud Deum tanti valet homo quanti valet corde ; tanta ejus excellentia, quantus ejus ad Deum amor ; ideoque Deus intuetur cor, quæ est ejus mensura.

Atqui amor Josephi ad Deum fuit, ex genere suo, omnium absolute summus, immo et ab omni alio specie diversus : fuit namque amor intensissimus *patris* erga *Deum*. Ergo excellentia Josephi, ex hoc capite, fuit absolute summa, ac etiam aliquatenus ab omni alia specie diversa.

2° Major, aut etiam sola, hominis excellentia in eo est ut ametur a Deo, ex quo divino amore omnia homini reliqua bona procedunt. Atqui Beatus Josephus amatus est a Deo amore omnium absolute summo (ex genere), scilicet filiali. Ergo.

B) Relative. Nulla quippe creatura fuit aut erit, quæ Deum amet amore paterno, quæ a Deo ametur filiali amore. Ergo.

7. **Pars.** *Affinitas Deo summa.*

Tum absolute, tum relative. — Humana Christi natura Deo affinis est *physice* in unitate personali ; Beata Virgo Deo fuit affinis per unionem quamdam physico-moralem ; B. Jsephus affinis fuit Deo, per unionem mere moralem, sed omnium maximam, quia titulo patris et amore paterno.

8. **Pars.** *Consequenter cultus summus.*

Si cultus ad excellentiam alicujus et ad affinitatem Deo exigitur (s. Th.), Beatus Josephus, ex omnibus hucusque dictis, non potest non esse dignus cultu summo.

Confirmatur 1e Ex Brevi Leonis XIII ad Episcopos Hispanos, 28 januar. 1890. — « Quem Christus Dei Filius et suum custodem et parentem existimari voluit, qui divinæ in terris domui, quasi patria potestate, præfuit, qui Ecclesiam habet suæ fidei ac tutelæ concreditam, ea excellit præstantia, ut nullo non sit obsequio prosequendus. » — De nullo Angelo vel Sancto id unquam dictum fuit aut dici potuit.

Cæterum, si ex titulis, quos enumerat Pontifex (postea dicemus cur his contentus fuerit), B Josephus ea excellit præstantia, ut nullo non sit obsequio prosequendus, quanto magis ex titulis jam expositis et ex modo exponendis.

Confirmatur. 2e Re certe vera, Josephus cultum summum, nondum quidem ab hominibus, sed ab ipso Verbo Incarnato (ut taceam Dei Genitricem), quantum ferebat infinita ejus majestas, utcumque exinanita, cumulatissime ac diutissime accepisse credendus et dicendus est. Quantumvis omnes angeli et homines Beatum Virum cumulent honore, id fere nihil erit, præ honore, quo ab ipsomet Deo cumulatus est. Obedientia Dei filialis et filialis amor prævalent omni creaturarum obsequio vel devotæ mentis significationi. Tunc tantum Ecclesia Beatum Josephum condigno honore celebrabit, quum filialem obedientiam et filialem amorem Verbi Incarnati erga eum, obsequiis exæquaverit.

Ait Benedictus XIV (Lambertini, 1714) in sua de s. Josephi dissertatione : « Petitiones pro augendo cultu Beati Josephi

æquo jure fore exaudiendas, quum demonstrabitur s. Josephum talibus prærogativis potiri, ut ab ejus nomine ad aliorum Sanctorum nomina duci nequeat consequentia ». (n. 29) —Puto, ex hucusque dictis, ei satis fuisse factum, sed ex sequentibus, ut spero, satius fiet. Quæ enim diximus fere nihil sunt præ illis quæ restant dicenda.

THESIS SEPTIMA

Beatus Josephus vere sensu theologico fuit Christi pater jure conjugii.

Declaratio. *a*) Beatus Josephus patris Christi nomen, officia et jura, paternum amorem, sortitus est; voluntas Dei omnipotens omnino eum fecit patrem Verbi Incarnati, supplens in omnibus causam naturalem. — Jam quæritur an nulla causa naturalis concurrerit, ita ut, non supernaturaliter tantum, sed etiam aliquo pacto, naturaliter, patris nomen, jura, officia, amorem, sortiretur?

b) Respondetur cum s. Augustino ac permultis, post eum, theologis, Beatum Josephum, sic disponente divina Providentia, causam naturalem posuisse, ex qua privilegia illa sponte sequerentur. Hæc utique privilegia fuerunt absolute supernaturalia, nam omnis relatio formalis, in qua alterum correlativum est absolute supernaturale, et ipsa absolute supernaturalis dicenda est: quid porro magis supernaturale quam Verbum caro factum? Attamen fuerunt etiam naturalia *secundum quid*, nimirum exstitit *fundamentum naturale* relationis paternæ Josephum inter et Verbum Incarnatum, ordinis quidem mere moralis, sed verum et vere fundans. Hoc autem fundamentum fuit conjugium Beati Josephi cum Virgine Beatissima.

c) Thesis certa est theologice.

Demonstratio. I *Ex* Patribus.

1° *Ex s. Augustino.* — *a*) « Cum igitur ipse Lucas narret non ex concubitu Joseph, sed ex Maria Virgine natum Christum, unde eum (Josephum) patrem ejus appellat, nisi quia et virum

Mariæ, recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugii ; et ob hoc etiam Christi patrem (naturaliter) *multo conjunctius*, qui ex ejus conjuge natus sit, quam si esset aliunde adoptatus. » (De cons. Evang. 1. 2, c. 1, n. 3.)

Heic unum notavero, quod et sequentibus debet aptari. Inter homines, duplex tantum paternitas agnoscitur, neque alia dari potest : paternitas naturalis et paternitas adoptiva (nam paternitas *putativa*, præcisive et exclusive sumpta, est absolute nihil, inane nomen) : ista, qua homo fit filius, illa qua filius fit homo. Ratio est, quia aliquis esse non potest filius nisi natura vel voluntate ; natura autem, sola carnis copulatione. At vero, si conjuges filium habere possent « Sine commixtione carnis, sola copulatione conjugii », licet filius, inde natus, non esset natura filius viri, ex ejus tamen voluntate adoptantis non procederet. Quid igitur? Hic filius erit extraneus viro conjugi, sicut alius quisque? Minime profecto. Filius quidem non erit natura, neque filius adoptione : sed erit filius *conjugii*.

Scilicet nomina seu vocabula instituuntur inter homines, consequenter ad id quod est aut quod fit : nomina enim propter res, non res propter nomina. Unde, si, præter communiter notos, novus datur generationis modus, necesse est detur etiam novum paternitatis nomen, quod neque naturæ physicæ, neque adoptionis legibus, contineatur. Has leges naturales tantum attendunt ii qui negant Josephum fuisse *vere patrem Christi* ; sed quærendum est an non possit dari aliud *fundamentum naturale relationis paternæ inter hominem et eum qui generatur*. Datur, ait Augustinus. Hoc autem fundamentum, aliud a copulatione carnis, sed longe perfectius, quam adoptio, est ipsamet copulatio conjugii. Infra dabimus rationem intrinsecam ; satis sit heic retulisse auctoritatem, utique summam, Augustini. Quum generatio Verbi Incarnati, licet vera generatio humana, viam secuta fuerit omnino supra naturam, quid quærere patrem secundum leges ordinarias naturæ? sed etiam quid negare patrem, secundum leges extraordinarias?

b) *Idem Augustinus* — « Sicut illud erat conjugium, et sine ulla corruptione conjugium, sic quod caste uxor peperit, cur

non caste maritus acciperet? » (Serm. 51 de Conc. MATT. et LUC, c. 16, n. 26.)

c) *Idem* : « Ita ergo non solum debuit esse pater Joseph, sed maxime debuit ». (Ibid.)

d) *Idem*. « Pietati et caritati Joseph natus est de Maria Virgine filius, idemque Filius Dei. » (Ibid., c. 20, n. 30.)

e) Adhuc clarius. « Propter fidele conjugium, parentes Christi vocari ambo meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater, sicut conjux matris ejus, utrumque mente non carne ; sive tamen ille pater sola mente, sive illa mater et carne, parentes tamen ambo. » (De Conc. et Nupt. I. 1, c. 11, n. 12.)

f) Et paullo post. « Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides sacramentum... Solus ibi carnalis concubitus non fuit. » (Ibid., n. 3.) — Hæc formula permultis theologis arrisit, eamque amplexati sunt, imprimisque Petrus Lombardus et Thomas Angelicus. — Ubi observa *Prolem dici bonum matrimonii* et ejusdem complementum ; jamvero si generatio prolis nullam relationem haberet ad ipsum matrimonium in se, nullatenus dici posset ejusdem bonum et complementum ; esset, ad summum bonum conjugum, non ipsius matrimonii.

Mens Augustini aperta est ; non uno, sed pluribus locis tuetur Josephum fuisse vere patrem, haud equidem carne, sed longe magis quam adoptione ; natura ipsius conjugii.

2° Ante s. Augustinum scribebat s. *Ephrem* Syrus. (Edit. Rom 1743.) — a) « Filius David Joseph Davidicam sibi desponsavit filiam, *ex qua prolem sine semine habuit*, quæ Mariæ pariter proles fuit, licet ipsa nunquam virum cognoverit... Ortus est sine Josepho Josephi filius, qui Davidis simul et parens exstitit. » (TOM. 3, p. 600.)

b) *Idem* (TOM. 2, p. 416) — Inducit Mariam sic Puerum Deum alloquentem : « Nescit os meum quomodo te vocem, o Fili (Dei) viventis. Namque audere et vocare te (i. e, audacter vocare te) filium Josephi horreo, neque enim semen ejus es tu. Et reticere nomen ejus timeo, nam ipse est conjux meus. »

c) *Idem* (TOM. 2, p. 277.) — « Evangelium illam (Mariam) matrem appellat et non nutricem. Sed Josephum quoque patrem

vocat (et non nutritium), quum nullam in ea generatione partem haberet... Non appellatio naturam tribuit... Porro ipsi Josepho natura appellationem indidit... quoniam Virginis et Josephi sponsorum arrhabones, ut hoc nomine vocaretur, effecerunt, patrem scilicet qui non genuit. Palmarum, mares qui dicuntur, dum obumbrant feminis, fructuosas illas efficiunt, quin tamen neque illis misceantur, neque ullam ipsis substantiam tribuant ; et ficulnearum quoque nonnullæ fructum non ferunt, nisi ramis maribus obumbrentur. Quemadmodum igitur ista, quamvis non generent, patres appellantur, ita et Josephus pater est dictus, licet Virginis vir (concubitu) non esset. Magnum mysterium ! » — Sanctum Hieronymum audiemus infra.

En quid, sæculo 3°, 4°, 5° Patres et Doctores Ecclesiæ sentiebant de paternitate s. Josephi. Subinde sæculo 5° labente et sequentibus, Historiæ et evangelia apocrypha Josephum fecerunt vetulum, viduum, patrem nutritium, adoptivum ac putativum.

Porro Patres nonnulli et Theologi multi hanc eamdem s. Ephrem et s. Augustini doctrinamplane receperunt et professi sunt. Permulta essent exscribenda. Unum duntaxat aut alterum proferam.

3° Ven. *Beda*. — « Quamvis et eo modo (Josephus) pater illius (Christi) valeat dici, quo et vir Mariæ, recte intelligitur, sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugii, multo videlicet conjunctius, quam si esset aliunde adoptatus. » (In Luc. l. 1, c. 2.)

4° *Rupert.* (de div. offic. l. 3, c. 18.) — « *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus*, Virum Mariæ, cum dicit, magnum et verum nomen Beato Joseph tribuit, quia, sicut vir Mariæ, est et pater Domini. Ergo vir Mariæ Joseph et ipsa uxor illius. Proinde nec iste (Matt.) inepte dixit Joseph Virum Mariæ, nec alius Evangelista (Luc.) mentitus est patrem illum ejus qui ex ea natus est appellando. *Et erant*, inquit, *pater ejus et mater mirantes*... Conjugium verum et sanctum, conjugium cœleste, non terrenum : quomodo enim aut in quo conjugati sunt ? Nimirum in eo quod unus spiritus et una fides erat in eis : sola illic desiit corruptio carnis : propterea verissime

dixit Apostolus, quia *primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Non quod Jesus Christus de cœlo cum carne venerit... sed quod conjugum vita sive conjunctio tota fuerit cœlestis, et Spiritus sanctus amborum conjugalis amor... in ambobus præsidens, conjugem viri hujus fidei commiserat et, de carne Virginis hominem formans, paternum viro huic ejus qui nascebatur, infantis, amorem penitus infudit. »

6° *Pasch. Ratbertus.* (sæc. X.), in suis Evangelii s. Matthæi commentariis, ad illa verba *Jacob autem...* : « Multo conjunctius pater Christi dicitur Joseph, quia ex ejus conjuge nascitur, quam si aliunde adoptaretur. »

II *Ex* THEOLOGIS. 1° *Cajetanus.* — « *Ego et pater tuus...* Non generatione, sed legitima appellatione, erat enim maritus Beatæ Virginis, ac per hoc legitimus pater Jesu merito appellabatur, præter hoc quod officio curæ pater erat. »

2° *Suarez.* (3. q. 29, d. 8, s. 1.) — « Per verum matrimonium cum Virgine contractum (Joseph) quodammodo (i. e. juridico) dominus corporis ejus effectus est (in ordine ad generationem), quia, ut Paulus inquit, *Mulier sui corporis* (in omnibus quæ spectant ad generationem) *potestatem non habet, sed vir.* Hinc ergo factum est, ut fructus corporis virginei quodammodo (modo juridico) ad Josephum pertinuerit... Addo tandem virum et uxorem per matrimonii vinculum effici quodammodo unum (brevi explicabimus quomodo). Nam, licet per carnalem copulam efficiantur una caro, tamen per vinculum ipsum efficiuntur unum cor, una voluntas (atque etiam aliquid amplius). Unde fit, ut bona habeant quodammodo communia (illa omnia quæ spectant generationem non illegitimam). Quia ergo Beata Virgo vera fuit mater Christi, *non potuit* Joseph, verus ejus sponsus, rationem parentis non participare, carnali semper generatione excepta. »

Cornelius a Lapide, idem, fere iisdem verbis. Ex qua doctrina ulterius deducit : « Sceptrum Juda, non tantum ex Dei promissione, sed et hæreditario successionis jure, per Joseph devenit ad Jesum Christum. Si enim jure communi in hæreditatem parentum succedunt filii, item illi qui a parentibus adoptantur, quanto magis Christus successit Josepho patri suo, utpote qui

natus ex conjuge, virtute et dono Spiritus sancti! Quare sicut Josephus habebat in Christum jus paternum (præscindendo ab independentia transcendentali Personæ, solo inspecto jure matrimonii), puta omnia jura quæ habent patres in filios, sic vicissim Christus habebat erga Josephum jus filiale : scilicet omnia jura, quæ habent filii respectu parentum, ac consequenter jus quoque regni judaici post mortem Joseph. » (In MATT., d. 1. v, 16.) — Si tamen Josephus erat ipse hæres, quod non est absolute certum, quanquam valde probabile fiat, ex ordine genealogico, qui a Davide bivius descendit ad ipsum. Quidquid sit de hac quæstione secundaria, mens celebris commentatoris et theologi, circa paternitatem s. Josephi, clara et certa est.

4° Idem tuetur *Tirinus*, etiam quoad hæreditatem sceptri, per Josephum « filio suo proprio ac legitimo, etsi non naturali », transmissi.

5° *Sylveira*. — « Commercium magnum habet Joseph cum divino Verbo, nam illius pater dicitur et nuncupatur, et hoc non solum a vulgari populo, sed etiam a sapientissima et prudentissima Virgine Maria. Deinde divinum Verbum sumpsit carnem et sanguinem ipsius Virginis; atqui purissima Deipara jure desponsationis pertinebat ad suum sponsum Joseph (in omnibus quæ spectant generationem)... Filius Dei nascitur ex illo virginali conjugio, ex Maria tanquam ex vera et naturali matre et ut sponsa Joseph, quæ jure desponsationis ad ipsum pertinebat (in ordine ad generationem) ; et ita Christus Deus erat Joseph possessio. » (Addit. in 1. Matt., n. 75.)

6° *Fr. Sylvius* (a Bened. XIV doctissimus non injuria dictus). — « Observandum est Beatum Joseph dici patrem Christi, uno quidem modo, quia communiter sic putabatur, alio autem, *eoque potiore*, propter copulationem conjugalem ipsius cum Beatissima Deipara. *Propter fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater, sicut conjux matris ejus*, ait Augustinus. » (In 3. q. 18.) Ubi nota hos auctores premere vestigia magni Aquinatis, quem magistrum sibi gloriantur.

7° *Guliel-Estius*. Quæstionem instituit « Quomodo Christus fuerit bonum conjugii et quomodo Joseph Christi pater ? » —

« Respondent quidam hactenus, id vere dici, quia in illo matrimonio, eoque illæso permanente, Christus conceptus et natus est. Quæ responsio veram quidem, sed non plenam continet rationem ejus quod quæritur. Plenior autem erit, si dicamus propterea Christum rectissime dici bonum illius conjugii, quia generatio prolis in eo conjugio suscepta, non tantum erat matris, verum jure conjugii spectabat etiam ad Joseph, tanquam maritum ejusdem Deiparæ Virginis. Quo jure idem Joseph vere pater Christi dictus est, attestante Evangelista, cum ait : *Erant pater ejus et mater mirantes*, et ipsa Virgine ad Filium :*Ecce pater tuus et ego dolentes.* » — Heic Estius citat plura loca Augustini, nobis jam nota, et approbationem v. Bedæ, ac prosequitur : « Unde Augustinus ex veritate illius conjugii docet Joseph *vere fuisse patrem Christi*, tametsi non ex eo carnaliter geniti. » (In IV. sent. d. 30.)

Card. Gotti. Huic quæstioni : an s. Joseph dici possit pater Christi, respondet : « Porro tanta vis conjugii fuit inter Mariam et Joseph, ut vel ipsa Maria, vere Christi mater, Joseph verum Christi patrem appellare non dubitaverit. » — Et ipse plura loca Augustini recitat. — « Quibus Augustinus vult, arcto conjugii fœdere, quo animi Mariæ et Joseph, esto non corpora, indissolubiliter jungebantur, ut Maria esset vera conjux Joseph, et Joseph, verus illius vir, factum esse, ut, quidquid de conjuge quodammodo nasceretur, etiam viro ejus nasceretur... Christus enim, utpote vere Mariæ filius, ad Josephum Mariæ sponsum peculiari titulo pertinebat, tanquam fructus illius matrimonii, non quidem ex illo, sed in illo. »

» Dicimus quod ratione fidei conjugalis et conjunctionis animorum mutuum aderat jus in corpus alterius (in ordine ad filium legitimum) : ut quidquid in illo et ex illo fieret alteri tanquam res sua tribui posset. Hac posita sententia, quam, prælucente Augustino, sequitur Estius, Sylvius, mire stabilitur veritas matrimonii inter Mariam et Joseph. » — Unde « cum Christus sit filius ejus conjugis, vi fœderis conjugalis, dici potest et esse, *in sensu vero et theologico*, etiam filius Joseph, ut probatum est. » (*Ver. Rel. christ.*, t 4, p. 1, c. 4.)

Mitto alios omnes qui Augustinum sequuntur. Sit unus pro

omnibus Magister Sententiarum, Petrus Lombardus — « Perfectum ergo fuit Mariæ et Joseph conjugium in sanctitate. Perfectum etiam fuit secundum triplex bonum conjugii, fidem, scilicet, prolem et sacramentum. Omne enim nuptiarum bonum, ut ait Augustinus, in his parentibus Christi impletum est, fides, proles, sacramentum... Et licet non intercessisset conjugalis concubitus, conjuges tamen vere fuerunt mente, non carne, sicut et parentes. » (*IV sent d.* 30. q. 2.)

Angelicum Aquinatem omnino præterire non possumus, sed aptius infra recitabitur, eo quod aliquid longe majus superaddit.

III. Semel probata thesi ex Patribus et theologis, videtur eadem ex *Scriptura* saltem valde innui.

Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ de qua natus est Jesus. (MATT., I, 17.) — In Scriptura continetur thesis nostra, si datur nexus inter το *virum Mariæ* et το *de qua natus est Jesus*, ita ut sensus sit : Joseph virum Mariæ, *quatenus* de ea natus est Jesus. Etenim, si conjux fuit Mariæ, quatenus Maria fuit Mater, non potuit ipse quatenus conjux, non esse pater : id est, non potuit ipse aliquo pacto, seu per Mariam, non referri ad Christum, sub respectu generationis ejusdem.

Jamvero hic nexus, in dicta sententia evangelica, non repugnat, licet per se evidenter affirmari non possit. Sed, si aliunde sciamus — scilicet ex doctrina Patrum et theologorum — Josephum fuisse virum Mariæ quatenus ex ea natus est Jesus, num putandum est voluisse Spiritum sanctum, in loco citato, hunc nexum excludere vel non attendere ?

Aliis verbis, istud *de qua natus est Jesus*, fuitne additum mere materialiter, ex quadam redundantia, absque nexu cum præcedenti inciso ? fuitne additum ita ut potuisset addi si Joseph factus fuisset vir Mariæ decem annis post Jesu nativitatem ? Nulla datur ratio id suspicandi. Igitur, quum aliunde hic nexus certo nobis innotescat — nimirum quum certum sit Josephum fuisse patrem jure conjugii, seu quatenus virum Mariæ — videtur adserendum thesim nostram Scriptura implicite contineri.

Quidquid sit, ex Patribus et ex Theologis certa manet. Superest ut eamdem ratione illustremus.

THESIS OCTAVA

Eadem doctrina rationis lumine illustratur.

Demonstratio. Per matrimonium conjuges fiunt unum coprincipium naturale in actu 1° generationis. Itaque per matrimonium Beata Virgo et Josephus facti sunt unum coprincipium naturale in actu 1° cujusvis generationis legitimæ ; atque ita fuerunt, vi conjugii in sensu vero et naturali, ambo parentes in actu 1°. Porro actus 1ˢ, totus quantus est, ordinatur ad actum 2ᵐ, nam potentia ordinatur ad actum et ex ipso specificatur. In actu autem 2° generationis duo inveniuntur, actus ipse, qui est causa generationis, et fructus, qui, ceu effectus, inde nascitur.

Jamvero matrimonium, primario, per se ac directe, non tendit ad actum, qui est causa generationis, nisi propter fructum. Ergo actus 1ˢ tendit primario, per se ac directe ad fructum seu filium. Quum autem via naturalis ac necessaria sit actus conjugalis, inde est quod actus 1ˢ matrimonii non potest ad finem quo tendit devenire, i. e. ad procreandum filium, nisi per actum conjugalem.

Scio equidem requiri ad rationem parentis ut fiat communicatio substantiæ ; sed hæc communicatio est quid, ut ita dicam, materiale et physicum ; moraliter ac finaliter loquendo, vir intendit filium a suo coprincipio recipere. Ratio est quia matrimonium primo ac principaliter oritur ex unione animorum, ideoque Apostolus ait : *Sicut Christus dilexit Ecclesiam, ita viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua ; qui suam uxorem diligit... seipsum diligit... Propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una* (*Eph. V*). Semel contracto matrimonio, sunt jam duo in carne una in actu 1° seu de jure, licet nunquam veniatur ad actum 2ᵐ ; sed semper debent esse in amore uno, non tantum in actu 1° sed in actu 2°. Porro amor ille mutuus et perseverans tendit ab filium, qui est vinculum amoris inter conjuges. Quamdiu hoc vinculum deest,

etsi habeatur unio conjugalis, matrimonium est mancum, amor inexpletus.

Attamen, quum non possit naturaliter hic fructus amoris nasci nisi ex violata virginitate, longe perfectius est, moraliter, conjugatis manere eorum matrimonium imperfectum, potius quam priventur ipsi virginitatis perfectione. Si autem fieri posset, ut, servata summa virginitate, fructus amoris conjugibus nasceretur, tunc consequerentur illi summam matrimonii et virginitatis perfectionem, quantum hæc duo inter se conciliari possunt.

Et hæc est ipsissima doctrina Augustini, quam multis locis altissime docet. — « Non itaque propterea non fuit pater Joseph, quia cum matre Domini non concubuit, quasi uxorem libido faciat et non caritas conjugalis. » (*Serm. 51.*)

« De feminis, quæ uxores non sunt, generant homines filios, et dicuntur filii naturales, et præponuntur iis filii conjugales. Quantum pertinet ad opus carnis, æqualiter nati sunt : unde isti præponuntur? Nisi quia castior est uxoris caritas de qua liberi procreantur? Unde vincit uxor, nisi affectu fidei, affectu conjugii, affectu sincerioris castiorisque caritatis? Si ergo posset de uxore quisquam sine concubitu suscipere filios, non tanto debuit lætius, quanto est illa castior, quam diligit amplius? » (*Ibid., c. 16*).

«Pietati et caritati Joseph natus est de Maria Virgine filius idemque Filius Dei. » (*Ibid.*)

« Major puritas confirmet paternitatem, ne ipsa sancta Maria nos reprehendat... Non ergo faciant *perversi murmuratores* quod conjux casta non fecit. Numeremus (generationes) per Joseph, quia, sicut caste maritus, sic castè pater. »

« Neque enim fas erat, ut ob hoc eum a conjugio Mariæ separandum putaret (Evangelista), quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum... Præsertim quia nasci eis etiam filius potuit, sine ullo amplexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. » (*de Cons. Ev.* I. 2, c. 1.) — (Hæc ultima verba mitius sunt accipienda : aut saltem., per se ad gignendos filios aptus sit. Sunt enim alii fines secundarii, qui tamen nunquam possunt contradicere primario.)

« Itaque, concludit, omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. »

Josephus et Maria in summo fuerunt perfectionis conjugalis simul et virginalis. Conjugium perfectissimum non debet carere prole ; perfectissima virginitas debet quam maxime integra manere mente et corpore. Hæc porro bene conciliantur, si, post Augustinum et innumeros theologos, dicamus Josephum fuisse caste patrem jure conjugii. Esto quod *paternitas* Josephi aliqua caruerit perfectione (inconciliabili cum perfectione virginitatis), sed ejus *conjugium paternitate non caruit.*

Paullo inferius hæc paternitas, prælucentibus Augustino et Thoma, adhuc magis splendebit ; interim locis jam recitatis interpretationem subjungam. Nec miretur aliquis diutius me in hac disquisitione morari ; nullibi invenitur expolita. Cæterum ille quem tædebit, hanc facile præterire poterit. Sed, ex parte mea, proposui, in hoc meo qualicumque opusculo, omnes quæstiones a me tractatas, quantum scio, enucleare, aut forsan meliuscule quam hucusque factum sit.

Quinque importat matrimonium omni numero absolutum, duo prævia, duo intrinseca, alterum consequens, seu melius, complens. — 1° Amor, i. e, unio animorum, quæ debet esse regulariter principium matrimonii ; 2° tendentia spontanea hujus amoris, quæ est accipere filium, nempe amoris vinculum uniens ultimo conjuges ; — hæc autem tendentia, *per se*, eo major est et perfectior, quo major et perfectior dilectio ; — 3° vinculum conjugale, quo fit uterque conjugatus coprincipium unum in actu 1° filii seu fructus procurandi ; 4° actus conjugalis, qui est medium naturale et necessarium ad filium exoptatum suscipiendum ; 5° ipse fructus unionis animorum et corporum, filius.

Quid tandem fecerunt voto virginitatis Maria et Josephus ? Hoc unum, respuere omnino a se medium naturale acquirendæ prolis, ac proinde omnem spem, omne desiderium, filii procreandi. Non potuerunt tamen, licet non cogitarent, nec cogitare possent, respuere filium via absolute supernaturali et virginea ipsis desuper dandum.

Quid vero effecit Spiritus superveniens in Maria ? Nihil abs-

tulit vel immutavit in 1° et 2° horum quinque: immo potius in immensum mutuam caritatem auxit : « Quos mille jungit nexibus Virtutis auctor gratia ». (*Off. ss. Fam.*) Atque ideo istud conjugium, *per se*, longe magis tendebat quam aliud quodvis ad habendum filium, utut conjuges ab hoc omnino abhorrerent, ob conditionem, quæ ipsis neceesaria videbatur, « *Hominem non cognosco* ». Neque Spiritus Sanctus attigit ullo modo 3m, scilicet vinculum conjugale, ac rationem coprincipii in actu 1°, quin etiam longe strictius junxit — (« Spiritus sanctus amborum conjugalis amor. » Rupert.) — Supplevit tantum 4m, nimirum medium naturale acquirendæ prolis, atque via absolute supernaturali, dedit eis filium ; quo factum est, ut « Pietati et caritati Joseph de Maria virgine (id est. de coprincipio suo) filius nasceretur, idemque Filius Dei » (*Aug.*).

Igitur huic matrimonio non defuit nisi quod in aliis omnibus est imperfectio ; immo et virginitati fuit additum quod aliis omnibus virginitatibus deesse necesse est, fecunditas. Matrimonio virgineo Mariæ cum Josepho competit summa matrimonii æque ac virginitatis laus, absque ullo alterutrius detrimento. — « Omne nuptiarum (et virginitatis) bonum (absque ullo malo) impletum est in illis Parentibus Christi : Proles, fides, sacramentum » (*Aug.*).

Re quidem vera, quum Deus per se effectum, supra omnes naturæ exigentias, producere intendit, non ideo totam naturam pervertit sed id tantum efficit per se ad quod natura est absolute impar. Ita Spiritus sanctus, in sacrosancto Incarnationis mysterio, hoc unum supplevit, sine quo effectus obtineri absolute non potuit ; reliqua autem omnia intacta reliquit : nullam a conjugibus perfectionem abstulit, quin potius consummavit. Eo vel magis quod ipse hujus conjugii auctor fuit, et quidem in ordine ad divinam Prolem suscipiendam, ut infra dicetur.

Retineamus ergo quod Josephus coprincipium Mariæ in actu 1° in ordine ad omnem legitimam generationem, non potuit non esse pater fructus hujus sui coprincipii in actu 2°. Nisi tamen dicamus fructum benedictum Mariæ non magis ad Josephum referri, quam ad extraneum quemque.

Scholion 1. Ex citatis Patribus et Theologis patet conjugium

præcessisse tempore factum Incarnationis. Omnes enim id supponunt, secus eorum argumentatio, nedum solida, immo nulla videretur. Etenim qui posset esse proles bonum matrimonii quod nondum contractum est ? — Aliunde Patres docent alterum ejusdem matrimonii finem fuisse, tum ut mysterium celaretur diabolo, tum maxime ut, connaturaliter, matris ac filii fama servaretur : porro, si matrimonium subsequutum fuisset Incarnationem et ad tres quartuorve menses dilatum, i. e., usque ad tempus quo angelus monuit Josephum, « ut acciperet conjugem suam », quomodo celatum fuisset diabolo aut saltem hominibus ?

Doctus P. Patrizi, in sua, de missione Angeli ad Josephum, dissertatione, fatetur matrimonium fuisse ante Incarnationem vinculo conjugali perfectum, ita tamen, ut aliquid *formalitatis* defuerit, quo liceret conjugibus matrimonialiter convivere. Ratio ejus potissima est, quod « accipere conjugem », apud Hebræos, significaret, non retinere apud se conjugem, sed « sumere conjugem », adeo ut Josephus conjugem non sumpsisset, nisi post Angeli monitionem.

At vero, 1° Angelus non ait simpliciter : *accipe conjugem*, verum addit « *tuam* » ; id est, juxta textum græcum, illam, quæ est conjux tua. — Præterea 2° nimium probat cl. commentator et in contradictionem videtur incidere. Nam, si revera hic modus dicendi « Accipe conjugem » non potest intelligi nisi de sumenda uxore, tunc Angelus dixisset Josepho, non tantum ut *formalitatem* quamdam compleret, sed, ut matrimonium nondum initum iniret, quod ipse Patrizi non admittit. — Tandem 3°, si, tempore Incarnationis, aliqua defuisset *formalitas*, sine qua conjuges honeste non potuissent convivere, nec fama matris, nec fama Christi, servata fuisset; sed, coram Judæis, neque fama Josephi, qui ante tempus cognovisset conjugem suam.

Scholion 2. Quanquam sensus paterni et speciatim paternus amor B. Josepho inditi fuerint a Deo, supplente supra modum naturam, natura tamen his sensibus non fuit extranea. Beatus vir Mariam conjugem, naturali ac supernaturali principio, amabat amore conjugali, supra omne creatum ; ideoque non potuit connaturaliter non amare, supra omne creatum benedictum fru-

ctum quem ab ea, tam divinissima via, recepit. Impossibile quippe est virum amare uxorem suam incredibili amore, quin fructum in ea, et in ipso matrimonio, divinitus natum pari amore prosequatur : fructus enim est quasi ipsamet uxor ; præter quam quod uxor est essentialiter coprincipium viri, adeoque seipsum amat vir amando uxorem cum filio. Sed multo magis fuit impossibile Josephum non amare fructum uxoris suæ, quum fructus ille fuerit ipsemet Deus. Unde, *vi conjugii*, non minus quam *jure*, B. Josephus ineffabili amore *naturali* æque ac supernaturali ad benedictam suæ uxoris Prolem, in suo conjugio natam, ferebatur, inque ea transfundebatur.

Scholion 3. — Licet, ratione Personæ divinæ, quæ nulli creaturæ subjici jure potest, B. Josephus nullam omnino auctoritatem in Verbum Incarnatum per se sibi adscriberet, ratione tamen naturæ humanæ ejusdem Verbi Incarnati, præcisive sumptæ, jus habuit naturale illi præcipiendi. Sicut enim erat naturaliter caput mulieris, ita naturaliter caput ejus filii. Unde, licet per se ac simpliciter Christus Jesus esset a potestate Josephi exemptus, ei tamen fuit secundum quid et naturaliter « subditus ».

Scilicet gratis omnino ac ineffabili dignatione electus fuit Josephus in patrem Christi, modo dicto ; sed, hac posita electione, factum est illi aliquod jus naturale, seu fundamentum, ut Verbo Incarnato præciperet, sicut factum est illi naturale officium paternum ut aleret, custodiret, amaret. Officia omnia Josephi erga Verbum Incarnatum ex natura fluebant, fluebant et jura. — « Ex hac duplici dignitate (sponsi ac patris), ait Leo XIII, officia sequebantur, quæ patribus familias natura præscripsit. » Contra leges naturæ peccasset Josephus, si Verbum Incarnatum amore paterno non amasset, et omnia, quæ ex amore paterno fluunt, non ad amussim complevisset.

Vicissim Verbum Incarnatum voluit titulum naturalem assumere amandi Josephum : *Et erat* — naturaliter — *subjectus* illis ; eratque naturaliter illis filiali amore devinctus.

Scholion 4. Et jam mente recolantur theses, quas supra statuimus. Si, ex singulis, jure potuimus, ut opinor, concludere excellentiam B. Josephi, tum absolute, tum relative, summam,

simulque summam ejus ad Deum affinitatem, ac, consequenter, jus ad cultum summum, haud difficile cuique erit hasce conclusiones iterum ex præsenti ac superiore thesi, sed altius, firmius, certius, eruere. Ideoque non immoror.

Scholion 5m. Beatus Josephus non fuit tantum, nec præcipue, *pater putativus*. Sed quum de hoc sint quædam documenta afferenda, thesim specialem proponemus.

THESIS NONA

Quanquam B. Josephus recte dici possit pater putativus, haud tamen unice nec præcipue.

Declaratio. 1° Plures modi dicendi solent adhiberi, quum agitur de paternitate Josephi : *pater putativus*, *pater nutritius*, *pater adoptivus*, *pater legalis* ; sed primus magis in usu est.

2° Hæc appellatio, *pater putativus*, aliquo pacto in Evangelio fundatur estque in Ecclesia longo usu recepta, atque proin veneratione digna. Scopus igitur thesis non est illam damnare vel respuere. Dicimus tantum neque esse unicam neque esse præcipuam, utpote quæ veram et objectivam Beati Viri paternitatem non satis exprimit vel attingit.

3° Lucas, III, 23, genitorum seriem texendo, subnotavit quod a Judæis putaretur Jesus Josephi natura filius ; minime tamen ipse vocat Josephum patrem putativum, multoque minus intendit hanc appellationem — de qua forte ne cogitavit quidem — esse unicam aut præcipuam. Contra, quum proprio nomine, nomine Mariæ ac Spiritus sancti, loquitur, *semper* Josephum vocat simpliciter *patrem*, vel simul cum Virgine, *parentes ejus*.

Neque in hoc loco mens Evangelistæ videtur fuisse ut doceret Jesum non natura exstitisse Josephi filium — quod paullo superius, dialogo Mariæ cum Angelo, ad vivum expresserat ; — sed intendit obiter notare, juxta leges historiæ, errorem vulgi, cui, de cætero, ipse non contradicit. Verum non docuit totam

aut præcipuam rationem paternitatis Josephi consistere in errore Judæorum, adeo ut, hoc errore sublato, jam Josephus nihil paternitatis haberet, essetque Jesu tam extraneus quam qui maxime.

Et certe hic non est sensus Ecclesiæ hanc appellationem usurpantis. Revera nullibi Ecclesia vocat Josephum patrem putativum. In solo *Invitatorio* festi legimus: « Christum, qui filius Joseph putari dignatus est, venite adoremus » ; et in hymno *Matutini* : « Te Sator rerum statuit pudicæ Virginis sponsum, voluitque Verbi Te patrem dici... » Hoc modo dicendi s. Mater Ecclesia velle videtur *in recto* tueri et docere integerrimam Mariæ virginitatem et mundissimam Christi Jesu nativitatem, de quibus semper fuit imprimis ac maxime sollicita ; et, consequenter, in *obliquo* tantum, huic duplici conceptui respondentem Josephi paternitatem. Nullatenus vero *directe* docuit Josephum patrem fuisse duntaxat aut præcipue *putativum*. Et quanquam ipsa, dirigente Spiritu sancto, paternitatem Josephi veram et objectivam nondum authentice prædicaverit. hanc eamdem, vel a temporibus Augustini, prædicari permisit.

At enim, si hodie Ecclesia Josephum, agnita sola ejus paternitate putativa, tot tantisque cumulat honoribus, quanto magis, agnita plena ejusdem paternitate, cumulabit ! Et quidem notandum est, nos sex primis thesibus, quibus Josepho cultum duliæ summum propugnabamus, nihil aliud intendisse, quam putativam paternitatem. Justissime igitur Ecclesia Josephum, qui pater Verbi putatus et dictus est, celebrat magnisque prosequitur honoribus ; sed et justissime poterit altiorem subinde agnoscere paternitatem novosque ac summos addere honores.

4° Quod appellationem *pater nutritius* spectat, apud quosdam quidem, non autem apud Ecclesiam, est recepta. Ideoque, licet damnari non possit, non ita tamen laudanda. Revera hæc appellatio nihil de ratione paternitatis in se continet. Numquid matres Christi fuerunt ss. mulieres quæ necessaria ad cultum corporis ipsi providerunt ? De *nutrice* infantis aliquatenus dici potest quod sit mater, quia eum veluti de sua substantia servat et auget ; verum alius quisque, quantumvis puero porrigat alimenta, nullatenus pater est. Profecto omnis pater debet esse

nutritius, sed non omnis nutritius est pater. Itaque si Josephus diceretur pater hac tantum ratione, quod puero Jesu alimenta providerit, omnis ab eo paternitas esset simpliciter ableganda.

5° Quidam vocant Josephum patrem *adoptivum*, quidam patrem *legalem*. Modus prior non videtur accuratus, posterior est falsus.

Adoptio pueri supponit hunc esse adoptanti extraneum ; nullam relationem dicit adoptati cum matrimonio, in quo nullo modo fundatur adoptio ; sola quippe libera voluntate vinciuntur adoptans et adoptatus. Adoptans debet explicite voluntatem suam manifestare ; adoptatus debet per se vel per alium, hanc voluntatem accipere, debet vicissim se ei filium tradere ; ac præterea quædam requiruntur formalitates legales, v. gr., concursus magistratus, notarii publici, testium. Horum porro nullum habetur in casu nostro : Christus Jesus Josepho extraneus non fuit, sicut dictum est, nec sibi invicem voluntatem suam manifestarunt, etc. Hujusmodi adoptio nullatenus Scriptura innuitur, nec ad gloriam Josephi est necessaria, quin potius est valde nociva, quia facit Jesum omnino extraneum Josepho, immo et ipsam Mariam facit extraneam viro suo.

Ex qua ultima ratione urgetur hujus appellationis — « pater adoptivus » — falsitas. Quum vir et mulier matrimonio junguntur, non potest alter conjux solus puerum adoptare, exclusa conjuge sua. Igitur, si Josephus puerum Jesum adoptasset, debuisset et Maria eumdem adoptare ; hoc autem evidenter fuit impossibile. Eccur vero paternitatem adoptivam quærere ubi « vera, sensu theologico », existit ? — « Unde eum (Josephum) patrem (Jesu) appelat (Lucas), nisi quia virum Mariæ, recte intelligimus, ipsa copulatione conjugii, et ob hoc etiam Christi patrem *multo conjunctius*, qui ex conjuge natus sit *quam si esset aliunde adoptatus* ? » (*Aug., l. c.*) Hanc Augustini sententiam, ut supra vidimus, theologi et probarunt et suam fecerunt.

In hoc tantum conveniunt paternitas Josephi et paternitas adoptiva, quod in neutra habeatur generatio carnalis, et in utraque habeantur officia et jura mutua patris ac filii ; sed in hoc differunt, quod adoptiva sit mere arbitraria, plus minus, quoad effectus, extensa, vel etiam dissolubilis ; altera vero et

naturali fundamento innixa est, et ad omnia jura et officia per se extenditur, et tam indissolubilis est quam ipsum matrimonium, immo ipsi superstes.

6° Quod autem paternitas *legalis* nulla ratione Josepho aptetur, sufficit legisse cap. 25 Deuteronomii. Ut errorem pessimum paternitatis physicæ vitemus, non necesse est ut incidamus in errores prorsus oppositos denegatæ omnis paternitatis.

Demonstratio. I. Ex Scriptura. Si revera hic titulus *pater putativus* fuisset proprius, aut præcipuus, sub quo Spiritus sanctus voluisset Josephum agnosci et honorari, incredibile est nullibi et nunquam in Scriptura legi ; eoque magis quod, loco hujus appellationis, semper et ubique vocatur Josephus simpliciter *pater*, *parens* Christi : nonne signum est voluisse Spiritum sanctum sub hac præcipue appellatione agnosci et honorari Josephum ?

Sed neque Jesus vocatus est *filius Josephi putativus* : dictum est tantum quod falso putaretur Josephi natura filius, minime ut ei aliqua *appellatio vel filii putativi*, tribueretur, sed ut error Judæorum historice notaretur.

II. Ex Patribus. — 1° *Indirecte a*). Ex dictis supra, Patres docent B. Josephum fuisse patrem vero et theologico sensu, i. e. sensu objectivo et principiis revelationis fundato. Ergo non reputatione tantum seu falsa existimatione.

b) Vult Augustinus Josephum fuisse patrem multo conjunctius, quam si fuisset ab eo Jesus adoptatus ; atqui, si reputatione tantum, aut præcipue, fuit pater, multo minus quam adoptione Christo existit conjunctus ; nam adoptio aliquid importat paternitatis, quoad effectum, officia, jura ; *reputatio* nihil.

2° *Directe. a*) *Ex s. August.* « Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Joseph, tanquam ex ejus *omnino* carne genitus ; sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas. Nam Lucas ait : *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph*. Qui tamen Lucas non ejus parentem solam Mariam, sed ambos parentes ejus appellare minime dubitavit, ubi ait... *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem*. Sed ne quisquam hic *parentes* consanguineos potius Mariæ intelligendos putet, quid ad illud respondebit, quod ipse

item Lucas super dixit : *Et erat pater ejus et mater mirantes?...* Unde manifestum est illud quod ait, *Ut putabatur filius Joseph*, propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines, nascuntur, natum arbitrabantur. » (*De cons.* Ev. I. 2, c. 1.) — Natus quidem est ex Joseph, sed « non sicut alii nascuntur ».

b) Idem *August.* « Castissime Evangelistæ et prudentissime per illum (Joseph) numerant (generationes)... Quare ? quia pater. Quare pater ? quia tanto firmius pater, quanto castius pater. Aliter quidem putabatur esse pater Domini... Quare putabatur ? quia humana putatio et existimatio illuc ferebatur, quod solet ab hominibus fieri. Non ergo de semine Joseph Dominus, *quamvis hoc putaretur*, et tamen pietati et caritati Joseph natus est de Maria Virgine filius, idemque Filius Dei. » (*Ibid.*, c. 20, n. 30.) — Ibi explicite docet s. Doctor Josephum vere fuisse patrem, parentem Jesu, ita quidem ut hæc paternitas esset omnino aliena et independens ab existimatione Judæorum. Scilicet etiamsi Jesus nullo modo et nunquam fuisset reputatus filius Josephi, Josephus tamen ejusdem pater ac parens exstitisset. (Videsis alia loca supra recitata).

Idem ac fere iisdem verbis habet *Pasch. Ratbertus.* (Matt., c. 1).

III. Theologi. — 1° *Sylvius.* « Si dicas b. Lucam, c. 3., vocare Joseph patrem Christi tantum putativum. Resp. Ipsum hoc non dicere, sed referendo opinionem vulgi de Christo, pronuntiavit : *Ut putabatur filius Joseph* ; propter eos scilicet, qui eum ex Joseph eo modo natum arbitrabantur, quo cæteri nascuntur. Alioquin, c. 2., simpliciter pronuntiat eum patrem : *Erat pater ejus et mater mirantes. Ibant parentes ejus...* Et Beata Deipara : *Ecce pater tuus et ego.* » (In. 3, q. 23, a 1.)

2° *Estius.* — « Verum objiciet hic aliquis Joseph ab Evangelista dici patrem Christi tantum putativum... Unde Bernardus (sup. *Miss.*) dicit quod Joseph ea appellatione, licet dispensatoria meruerit honorari a Deo, ut pater Dei dictus et creditus sit. Origenes autem, hom. in Levit, indicat eum dictum patrem Christi, quia nutritius erat et nutritiam illi operam præstitit : Pro fideli ministerio, inquit, patris ei vocabulum Scriptura concessit. »

» Sed respondemus Evangelistam, dum, 2 cap., semel et iterum Joseph vocat patrem Christi, non ad vulgi opinionem attendisse... sed absolute dixisse eum Christi patrem. At, c. 3, vulgi opinionem declarat, putantis Jesum ex Joseph carnaliter procreatum. Unde Augustinus... (quæ recitavimus). Alia igitur ratione verus Christi pater fuit Joseph, alia putativus : verus jure conjugii, putativus, generatione carnali...

» Ad illud denique quod Origenes Josephum existimat tantum propter fidele ministerium honoratum fuisse patris vocabulo, respondemus eam rationem nequaquam sufficere. Primum, quia Scripturæ consuetudo non habet ut nutritius *pater* et nutrix *mater* dicatur. Deinde, quia virgo illum etiam in patris vocabulo sibi præponit... Idem facit Evangelista dicens : *Erat pater ejus et mater*, ne forte putes humilitatis causa tantummodo id Virginem fecisse. (Inepte factum et dictum, si Josephus esset tantum reputatione et ministerio pater, quia tunc *pater* et *mater* essent *disparata* ; idem dic *a fortiori* de vocabulo, *parentes*.) Tertio, quia Lucas vocat ambos parentes, γονεῖς, quasi genitores quia, ut dictum est, generatio filii etiam ad Joseph, jure conjugii, pertinuit. Quarto, quia ab eodem Evangelista dicitur quod erat *subditus illis*, nempe tanquam parentibus, quem locum urget Augustinus, l. 1 de Nupt. et Conc., c. 11. Postremo, quia tam Lucas quam Matthæus genealogiam Christi ducunt per Joseph, quod absurde fieret, si non alia ratione pater est, quam quia nutritius (aut etiam quam putativus). » (In IV, d. 30, 1.)

3° *Card. Gotti*. Postquam recitaverit et expenderit doctrinam s. Augustini de vera Josephi paternitate, prosequitur. « Ex dictis colliges causam qua in Evangelio s. Joseph interdum appelletur pater Christi putativus (nunquam vocavit, et semel tantum ansam dedit vocandi), interdum vero (semper, expressis terminis) et frequentius absolute Christi pater. Hoc enim secundum contigit, quia, cum Christus sit filius ejus conjugis, vi fœderis conjugalis, dici potest et esse in sensu vero et theologico etiam filius Joseph, ut probatum est. (Et adducit locum Augustini.) Unde manifestum est illud quod ait *Ut putabatur filius Joseph*, propter eos dixisse, qui eum a Joseph, sicut alii nascuntur, natum arbitrabantur.

» Ita exponendum censeo s. Bernardum (2 *Missus.*), ubi de Joseph ait : Nec vir ergo matris nec filii pater exstitit, quamvis certa et necessaria dispensatione utrumque ad tempus, et appellatus sit et putatus. — Solum enim negat Josephum virum Mariæ, quia non fuit ereptor, sed custos virginitatis ejus, et Christi filii ejus patrem, quia eum carnali commixtione non genuit. Eodem modo exponit s. Thomas (3. q. 29, a. 2.) s. Hieronymum dicentem contra Helvidium, quod « Joseph Mariæ custos potius quam maritus » ; et super illud Matth. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ*, « nimirum, cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum. » Respondet enim s. Thomas ibi ad primum : Quod Hieronymus accipit ibi maritum ab actu matrimonii consummati ; ibi enim probat Joseph virginem mansisse cum Maria ; et ad secundum respondet quod « nuptias Hieronymus vocat nuptialem concubitum. »

» Neque tandem audiendus est Origenes (12 in Levit)... sed magis audienda Scriptura est, quæ eum semper vocat patrem, nunquam vero nutritium appellat *patrem* sicut nec nutricem *matrem.* » (l. c.).

IV. Ex ratione theologica. 1° Pater putativus ille est qui pater nuncupatur ex errore tantum eorum qui veritatem ignorant ; atqui Josephus, non errore tantum ignorantium veritatem, pater nuncupatus est, sed ii, qui veritatem omnino perspectam habebant, patrem eum passim et sine additamento habuerunt. Ergo certe alia ratione quam erronea reputatione fuit pater.

2° Si pater tantum, aut præcipue, existimatione fuit, imperite, immerito, ac etiam falso, dictus fuisset sub uno vocabulo *parens* cum Beata Virgine, nam certe Beata Virgo non putativa mater exstitit.

3° Fingamus animo Josephum Virgini haud sociatum fuisse vinculo conjugali, sed tantum reputatum ejus sponsum : numquid tunc tam exstitisset pater Jesu quam revera exstitit ? Sane, si tota ejus paternitas est putativa, tantum esset pater in uno casu quam in altero, quia utrobique, pater sola existimatione. Sed hoc repugnat ; ergo repugnat dicere Josephum esse solummodo, aut præcipue, patrem putativum.

4° Fingamus iterum Gabrielem Archangelum, ab ipso primo

Incarnationis instante, docuisse signis evidentibus omnes Judæos mirabilem Jesu virgineam conceptionem : impossibile tunc fuisset Josephum *reputari* patrem Christi ; in hoc casu nullus pater Jesu putativus exstitisset : ergone nullo modo fuisset Josephus pater Christi ?

5° Si pater putativus tantum, aut præcipue, fuit Josephus, nullum ei officium patris incubuit ; potuit, sine injuria matris ac filii, illos deserere : quis non videat hoc esse falsum ?

6° Hoc factum historicum afficiebat directe Judæos, Josephum indirecte tantum, velut objectum putationis erroneæ : putatio vero erronea nec auget alicui honorem objectivum nec minuit. Non deberet Josephus dici pater putativus, sed : Is qui aliquando, brevi quidem tempore, pater fuit putativus. Statim ac Evangelium prædicari et mundum illuminare cœpit, dissipatus est error ; cessavit Josephus esse pater putativus, quia cessavit reputari naturali generatione pater.

7° Certe Spiritus sanctus nec pusillis scandalum timuit, vocando semper ac simpliciter Josephum Jesu patrem ac parentem. Neque videtur subesse posse scandalum crassissimæ vel perversissimæ menti, si cursim tantum legerit vel audierit dialogum Gabrielis Archangeli cum Maria Virgine (Luc, I, 26).

Die 11 octobris, anni 1906, Rmus ac Illmus DD. Nicolaus Josephus Camilli, Archiepiscopus Episcopus Jassiensis, ad audientiam vocatus SSmi D. N. Pii Pp X, orationem sequentem, quam ipse devotissimus composuit, adprobandam et indulgentiis augendam præsentavit.

« *O Joseph, virgo Pater Jesu, purissime Sponse Virginis Mariæ, quotidie deprecare pro nobis ipsum Jesum Filium Dei, ut armis suæ gratiæ muniti, legitime certantes in vita, ab eodem coronemur in morte.*

Attentis oculis legit perlegitque Pontifex, et, assumpto calamo, subscripsit :

« Recitantibus hanc orationem Indulgentiam centum dierum, bis in die lucrandam, in Domino concedimus. Die XI octobris an. 1906, Pius Pp X. »

Sed die sequenti, 12 octobris, scribebat Emus Gennari ad Illm orationis Auctorem : «... Documentum præsentavi S. Indul-

gentiarum Congregationi: nulla facta fuit in oppositum contradictio ».

Josephum vocaverat Cornelius a Lapide *patrem matrimonialem* : jam licet authentice vocare et exorare *Patrem Jesu virginem — Almi parentes Jesu Christi virgines, orate pro nobis.*

THESIS DECIMA

Licet s. Josephus nihil physice concurrerit ad procreationem Verbi Incarnati, nonnihil tamen, matrimonio ipso, moraliter extrinsece concurrit ad ejusdem existentiam : adeoque certa et vera de ratione dici potest divinæ Prolis pater.

Declaratio. 1° Præsupponendo — quod de fide est — Beatum Josephum nihil concurrisse physice ad humanam generationem Filii Dei, dicimus concurrisse tamen aliquatenus moraliter, actu ipso contrahendi matrimonium cum Deipara.

2° Hæc doctrina, quæ nonnulis hodie nova videbitur, fundatur, tota quanta est, dictis Patrum ac Doctorum. Multum addit supra ea quæ diximus. — Josephus Jesu pater fuit, nomine, auctoritate, juribus officiisque paternis. — At vero non fuit pater *exercitio* tantum *externo* paternitatis : sensus paternos, ac speciatim paternum amorem, longe intimius et altius expertus est, quam solet et potest natura sola infundere. — Licet hi sensus paterni illi fuerint infusi a Patre Æterno, supplente naturam, fundamentum tamen habuerunt in ipsa natura, quia non potuit, connaturaliter, quatenus *sponsus*, non experiri sensus paternos erga filium coprincipii sui generativi, sponsæ suæ castissimæ. — Fuit igitur Josephus Jesu pater, non tantum externe, neque tantum interne, solo Dei supernaturali influxu, sed fuit etiam pater, *jure naturæ et inclinatione naturali matrimonii.* — Immo fuit pater *jure stricto conjugii.* — Oritur inde Beato Josepho excellentia et affinitas ad Deum, tum absolute, tum relative summa, quæ satis superque fundat cultum summum.

3° Attamen, quamvis istud jus conjugii sit objective, in or-

dine morali, titulus verus et efficax paternitatis, non videtur fundare paternitatem, quæ natura, antecedat filii procreationem influatque in ipsam. Ut habeatur paternitas hujusmodi necesse est, ut qui dicitur pater prævium quid efficiat ex quo pendeat et necessario consequatur filii procreatio. Tunc qui dicitur pater est *auctor* filii.

4° Istud prævium, in ordine naturali, non postet esse nisi operatio activa germinans. Hac operatione parentes aliquid efficiunt de propria sua substantia ; animam tamen spiritualem nequeunt procreare ; sed Deus, consequenter natura, animam creat et materiæ vivificantem infundit : *inspiravit spiraculum vitæ*. Parentes igitur dicuntur, non ex eo quod totam naturam humanam, aut ejus præcipuam partem, generent, sed ex eo duntaxat quod materiam sic præparent, ut, ex lege naturæ, anima creetur et materiæ infundatur. Unde patet ad rationem verissimæ paternitatis non requiri ut parentes totam suam naturam physice communicent, sed satis esse ut aliquid physice, aliquid *moraliter*, communicent. Cum operatio activa parentum tendat per se ad procreationem hominis, inde est quod, parentes sunt, non solius materiæ, sed naturæ, immo et personæ humanæ. Si perfectio paternitatis mensuraretur physica communicatione substantiæ, paternitas humana minus perfecta esset, quam paternitas brutorum aut vegetalium, in qua (probabiliter) communicatur ipsum principium vitæ seu forma corporis. Sed perfectio paternitatis humanæ reponenda est in termino, ad quem tendit operatio prævia parentum et in quo quiescit. Unde, in generatione humana naturali duo possumus distinguere, quæ a parte rei simul procedunt : aliquid efficere prævium — natura — ex quo pendeat et consequatur creatio animæ et actuatio filii, sitque istud prævium præparatio materiæ mox animandæ.

5° Hæc, quæ videntur abstracta et peregrina, non parum faciunt ad quæstionem nostram. Nam dicimus Beatissimam Virginem et Beatum Josephum aliquid prævium effecisse *ex quo penderet et consequeretur*, non solum creatio animæ, sed productio a Spiritu sancto ex Virgine Maria et actuatio totius humanæ naturæ Christi, ac, licet istud prævium non esset

præparatio activa materiæ, erat tamen omnino necessarium, sicut necessaria est præparatio activa materiæ in generatione naturali.

6° In generatione humana Verbi Incarnati, in qua, ait Chrysologus, materia minimam partem habuit, maximam spiritus, aliquid quidem prævium requisitum est, sed, in materia, minimum quod requiri potuit, maximum in spiritu. — « In conceptione Christi, ait incomparabilis Thomas, Beata Virgo nihil active operata est, sed solam materiam ministravit. Operata tamen est ante conceptionem aliquid active, præparando materiam, ut esset apta conceptui. » (3. q. 2 a. 1. c.) (1)

7° De humana generatione Verbi tractantes, non possumus ullo modo argumentari juxta leges ordinarias. Non modo non licet paternitatem Josephi ad has leges exactam inquirere, sed neque ipsius Mariæ maternitatem, quæ tamen verissima fuit. Ex eo autem quod Josephus concursum physicum non præbuit, haud sequitur eum nullum concursum præbuisse. Scilicet hæc duo — concursus prævius et præparatio activa materiæ — quæ in generatione naturali unum sunt, in generatione Christi fuerunt separata : parentes concursum quidem præbuerunt prævium, ex quo pendebat actuatio *existentiæ* Christi ; sed hic concursus nullatenus fuit præparatio activa materiæ. Hanc præparationem sola virtus Spiritus effecit : « Beata Virgo nihil active operata est, sed solam materiam ministravit ».

8° In conceptione naturali filius accipit substantiam humanam a parentibus virtute humana ; in conceptione Christi, filius accepit physice substantiam humanam a sola matre, sed sola virtute divina : quatenus accepit physice substantiam a sola Maria, est totus physice filius Mariæ ; quatenus sola virtute Spiritus sancti, nihil Maria active operata est.

9° Ratio propter quam parentes humani dicuntur parentes hominis, quanquam nullo modo producant animam, est quod eorum operatio activa tendit ad hoc ut anima creetur et materiæ

(1) S. Bonaventura, (d. 4 a. 2. q. 1) censet Beatissimam Virginem aliquid *active* operatam fuisse, sed præternaturaliter, uno instanti. Cfr. Suarez de Mysteriis, d. 18, s. 2, n. 10.

dispositæ infundatur : Maria non modo nihil effecit, ut crearetur anima Christi, sed neque ut materia disponeretur.

« Operata tamen est, inquit Thomas, ante conceptionem aliquid active, præparando materiam, ut esset apta conceptui. » Jamvero, ex aliis locis s. Doctoris, duplex fuit illa præparatio activa ante conceptionem : alia interna, alia externa ; interna alia materialis, alia spiritualis ; externa, præcipue ordinis moralis.

Præparatio interna *materialis* sita fuit in apta corporis evolutione, ac potissimum in purissimis sanguinibus a corde elaboratis, qui conceptui possent subservire.

Præparatio interna *spiritualis* fuit illa ineffabilis animæ dispositio qua, « ex gratia sibi data, illum puritatis et sanctitatis gradum meruit, ut congrue posset esse mater Dei » (3. q. 2. a. 11. ad 3) ; si Deus vellet habere matrem. Hæc illa est maternitas *spiritu*, quam Patres, post ipsum Dominum, summis laudibus, supra ipsam maternitatem corporalem, extulerunt.

Præparatio externa *moralis* fuit matrimonium virgineum et virginitas matrimonialis. (De virginitate dicemus in sequenti thesi.)

10° Hæc igitur fuere, quæ Spiritus sanctus requisivit prævia productioni humanæ Christi naturæ, hæc quæ *præordinavit* ad Verbi Incarnati conceptionem. Ista præordinatio, non ex natura rerum fluebat, sed supernaturaliter tantum instituta est, ita quidem, ut, illa ordinatione posita, jam matrimonium virgineum Mariæ tenderet supernaturaliter ad procreationem divinæ Prolis.

11° Statim affulget quo pacto Josephus in hac divina ordinatione locum habeat et concursum simul cum Maria præmittere debeat. Ipse cum Virgine debet matrimonium inire, ipse, « ex gratia sibi data, illum puritatis et sanctitatis gradum meruit, ut congrue posset esse — sponsus Dei Genitricis — et pater Dei ».

12° Fuit hic concursus mere extrinsecus et ordinis tantum moralis, sed omnino prærequisitus. Matrimonium Mariæ ejusque virginitas, cum Josepho, connotabat actionem Spiritus producentis naturam humanam Verbi : nexum quemdam causalem instituerat Deus inter matrimonium virgineum et actuationem

hujus existentiæ : ideoque actuatio hujus existentiæ nonnihil pendebat a Josepho. Ipse non communicavit suam *substantiam* Verbo Incarnato, sed ex ordinatione divina et moraliter loquendo, communicavit *existentiam* et *vitam*, quatenus cooperatus est, ut, virtute divina, Verbum Incarnatum veniret ad existentiam et vitam. Ergo dici potest aliquatenus auctor hujus existentiæ et vitæ. Cæterum, mente teneatur quod modo ex s. Thoma exscripsimus : « Beata Virgo nihil active operata est, sed solam materiam ministravit ; operata est tamen, ante conceptionem aliquid active » (1).

Demonstratio. — *Matrimonio cum Virgine concurrit Josephus moraliter et extrinsece ad existentiam et vitam Christi, sola virtute Spiritus sancti, actuandam.*

1. Ex auctoritate s. Thomæ. (in IV sent. q. 2 a. 2. ad 4. — 3. q. 29. a. 1. c). — Observa, Aquinatem, plerumque, licet non dicat, referre paucis doctrinam Patrum, aut certe Ecclesiæ. — Sic igitur ipse sibi objicit : Perfectum dicitur matrimonium ex eo quod habet bonum prolis ; sed illud matrimonium (Mariæ ac Josephi) non habuit bonum prolis, quia proles in illo educata non fuit *effectus* illius matrimonii. Ergo non fuit matrimonium perfectum ».

Fac bene advertas vim objectionis, quo melius responsum assequaris. Nos ostendimus supra, Prolem divinam fuisse bonum utriusque conjugis, quia in *eorum matrimonio* est nata et educata : quærit aliquid amplius Thomas : quærit an sit nata ex hoc matrimonio, an sit *effectus* illius matrimonii ?

« Ad quartum dicendum, quod proles non dicitur bonum ma-

(1) Nolim ut quis suspicaretur Beatissimam Virginem Mariam fuisse minus matrem quam sunt cæteræ matres. Immo vero fuit longe magis, siquidem Jesus fuit verissime ex ea sola totus *conceptus* ; sed fuit alio modo. Sit igitur semel dictum pro semper : quum loquor de maternitate Mariæ, intelligo, sicut intelligit s. Thomas, verissimam maternitatem, nihil habentem imperfectionis vel limitationis, quæ in aliis omnibus insunt, habentem vero, et quidem antonomastice, omnimodam perfectionem. Ex hoc capite in immensum superexcedit paternitati Josephi, cujus, de cætero, ipsa est ratio et fundamentum.

trimonii solum in quantum PER *matrimonium generatur*, sed in quantum PER *matrimonium suscipitur* ; et *sic* bonum illius matrimonii fuit proles illa et non primo modo. Nec tamen de adulterio natus, nec *filius adoptivus*, qui in matrimonio educatur, est bonum matrimonii, quia matrimonium *non ordinatur* ad educationem illorum, sicut hoc matrimonium fuit *ad hoc ordinatum specialiter* (a Deo profecto) *quod proles illa susciperetur in eo et educaretur.* »

Hisce verbis habemus accuratam interpretationem formulæ, quam Theologi, quin illam forte satis expenderint, ab Hipponensi mutuati sunt : « Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum ».

Sed juvat hæc verba propius inspicere ; plena sunt doctrinæ.

a) Quod primum occurrit legenti est quod, de mente s. Thomæ, hoc matrimonium fuerit perfectum (hoc idem deprædicat Augustinus). Etenim totus scopus s. Doctoris est ostendere hanc perfectionem. Valeat, non valeat ejus argumentatio, ipse evidenter intendit probare fuisse perfectum hoc matrimonium, etiam sub ratione prolis.

Porro, ait s. Doctor, si proles, in hoc matrimonio educata, non fuit ejusdem *effectus*, matrimonium fuit imperfectum. Ergo proles in eo educata debuit esse, saltem aliquo modo, effectus matrimonii.

Et sane, si proles aliqua non adscribitur ipsi matrimonio, tanquam ejus effectus, matrimonium caret propria sua et primaria perfectione, quæ consistit in prole *ex eo oriunda*. Ad hoc enim tendit per se matrimonium, et quamdiu illa tendentia manet inexpleta, imperfectum simpliciter manet matrimonium. Quod adeo verum est, ut matrimonium, etiam consummatum, imperfectum sit, si sterile manserit.

Unde, juxta s. Thomam, divina Proles fuit effectus hujus matrimonii, quia hoc matrimonium fuit perfectum, etiam sub ratione prolis. Sed non potuit divina Proles esse effectus hujus matrimonii, quin conjuges ambo concurrerint ad hunc effectum ; Josephus autem non concurrit physice nec intrinsece ; ergo debuit concurrere extrinsece et moraliter. Atqui non potuit, concurre, licet extrinsece et moraliter, quin aliquatenus cau-

sam posuerit procreationis Verbi Incarnati : causa autem procreationis alicujus prolis recte dicitur ejusdem parens. Ergo Josephus recte dicitur parens Verbi Incarnati.

b) Ipse s. Doctor indigitat de qua causalite agatur : Finis hujus matrimonii fuit — de speciali Dei ordinatione — « quod divina Proles susciperetur in eo et — consequenter — in eo educaretur. — Porro, si finis proprius illius matrimonii fuit, ut Proles divina — de solius Spiritus sancti actione — in eo susciperetur, conjugati, matrimonium ineundo, causam posuerunt moralem et extrinsecam, uti est causa finalis, hujus Prolis suscipiendæ. Sed causa *matrimonialis* alicujus prolis recte dicitur ejusdem parens. Ergo.

c) Angelicus, ex modo loquendi, hanc causalitatem omnino confirmat. Dicit enim generatim, prolem esse vere bonum matrimonii — ut ejus effectum, nam de hoc tantum agitur — « non solum in quantum PER matrimonium *generatur*, sed etiam in quantum PER matrimonium *suscipitur* », i. e., *vi* ipsius matrimonii, secus in matrimonio quidem suscipi posset, sed non PER matrimonium susciperetur. Opponendo istud duplex PER, manifeste intendit causalitem in secundo sicut in primo.

Præterea hunc sensum causalem, ut modo notavimus, manifeste requirit solutio difficultatis. Si dicitur quod proles sit tantum *in* hoc matrimonio nata, matrimonium est imperfectum quia non potest esse perfectum nisi proles, in eo educata, sit *effectus* ejusdem.

d) Hoc illustrat s. Doctor duplici exemplo. Natus filius ex adulterio non est bonum matrimonii, quia, licet ab alterutro conjuge susceptus, non tamen ex tendentia et vi matrimonii. Attendas velim hoc exemplum. Si sola ss. Maria dicitur parens Christi, Josephus est tam extraneus Christo, quam alter conjux est extraneus filio adulterii : sola differentia in eo est, quod bb. Virgo concepit de Spiritu sancto. — Præterea, sicut filius adulterii nullo modo dici potest « bonum matrimonii », ita, si Josephus non est vere pater, nullo modo Christus dici potest « bonum matrimonii ». — Insuper, si Christus natus non sit aliqua ratione *ex* matrimonio, ac proinde, si Josephus non dicatur vere pater, matrimonium ipsum, in utroque casu, nihil refer-

tur ad prolem. — Tandem neque dici posset Christus natus *in* matrimonio, quia nativitas ejus non magis respiceret matrimonium quam respicit filius in allato exemplo. — Sed s. Thomas hujus modi conclusiones absolute respuit. Ergo.

Alterum exemplum, a s. Doctore allatum, est exemplum « filii adoptivi, qui in matrimonio educatur ». Filius, a conjugibus in matrimonio adoptatus, non est bonum matrimonii, sicut fuit Christus, quia non suscipitur *per* matrimonium, quamvis *in* eo suscipiatur et educetur. — Ubi obiter nota, Jesum heic implicite dici a s. Thoma, « longe conjunctius filius Josephi, ut loquitur Augustinus, quam si esset aliunde adoptatus ».

c) Urget etiam s. Doctor. Distinguit et agnoscit duplicem paternitatem *veram*, sicut distinguit duplicem veram filiationem. Ex eo quod, inquit, aliquis non *generatur* per matrimonium, non sequitur eumdem non esse vere filium conjugum. Dupliciter quippe conjuges possunt esse parentes : vel « in quantum per matrimonium *generant* filium, vel in quantum per matrimonium filium *suscipiunt*. »

Sane hunc secundum modum ex sola Incarnatione, quæ facta est, cognocismus : sed, sicut extra casum Incarnationis non potuimus scire, ita jam dato Incarnationis facto, non possumus non admittere. Revera, quod conjuges, per solam actionem ineundi matrimonium, concurrant ad productionem prolis, hoc nequit esse ex rei natura ; ideoque diserte observat Thomas, non fuisse nisi ex speciali Dei ordinatione : « *Ordinatum est* hoc matrimonium *specialiter* ad hoc quod proles illa in eo susciperetur » ; qua posita ordinatione, proles suscepta est per matrimonium, ceu effectus ejusdem.

Ex hoc modo loquendi s. Thomæ, aliud, neque infirmum, duci potest argumentum. Si Christus non est susceptus *per* matrimonium sicut *per* matrimonium generantur alii, nulla omnino requirebatur *ordinatio specialis* ; requiri non potuit nisi ut illud ipsum *matrimonium effectum* specialem et supernaturalem consequeretur. Effectus vero tribui non potest causaliter matrimonio, nisi causaliter tribuatur matrimonium ineuntibus. Ergo vere parens prolis fuit Josephus, haud equidem ex ordina-

tione naturali ; sed ex speciali et supernaturali ordinatione.

Iterum dico, potest doctrina s. Thomæ impugnari (quis audebit !) ; de mente ejus ambigi non potest. Heic esset scholastice expendenda, sed ne bis in idem et ne turbetur ordo probationis, remittimus ad thesim decimam tertiam.

2° Et jam audiamus *Estium*, discipulum s. Thomæ, Duacenæ Universitatis cancellarium.

« Fueritne perfectum inter Mariam et Joseph matrimonium ? — Triplex in matrimonio perfectio considerari potest, nempe substantiæ, significationis et finis... Itaque secundum *substantiam* perfectum fuisse inter eos matrimonium indubitatum est, quia, data, et accepta utrinque corporum potestate, vere conjuges erant. Porro, si *significationem* attendamus, aliquid defuit hujus matrimonii perfectioni, sicut et cujuscumque inconsummati. Quamvis enim hujusmodi conjugium significet unionem Christi cum Ecclesia, quæ est per caritatem, non tamen eam quæ est per naturam... At neque illa opus erat significatione conjunctionis Christi naturalis cum Ecclesia, *quandoquidem in illo matrimonio res ipsa erat exhibenda*, scilicet Christi Incarnatio. Verumtamen hunc significationis defectum in illo sanctissimo conjugio supplevit et abunde compensavit alia quædam *significatio*, quæ cæteris omnibus conjugiis deest, qua nimirum Ecclesia, virgo et incorrupta Christi sponsa, eademque mater significatur.

» Denique, quum *finis* alius propinquus sit, alius ultimus, si consideremus propinquum finem conjugii, qui est copula carnalis (quique est *medium naturale* ad finem ultimum), ex hac parte non oportuit perfectissimum illud conjugium perfici seu consummari (quia fuisset ipsis conjugibus maxima imperfectio seu perfectionis maximæ ablatio). Si finem spectemus ultimum, qui est *procreatio prolis*, seu proles ipsa, fuit hac ratione conjugium illud perfectissimum simul et felicissimum, quia in eo ex incorrupta matre natus est fructus excellentissimus, ita ut corruptionis carnis non opus esset (quia Spiritus sanctus parentum supplevit operationem activam).

» Præter hæc tria, ex quibus perfectio matrimonii consideratur, est et aliud, quod matrimonio perfectionem quamdam con-

ciliat, nimirum mutua conjugum inter se caritas, quæ quidem inter eos, cæteris paribus, eo major est et purior, quo minus fuerit amore carnali permixta... Hoc etiam magis verum erit, si etiam finem matrimonii, id est, prolem, tales conjuges consequantur. Quod quidem nulli conjugio, præter quam huic soli, de quo egimus (Mariæ ac Josephi), concessum est. » (*In IV Sent. d. 30, § 10.*)

Itaque, hoc matrimonium fuit undequaque perfectum, immo magis aliquatenus quam si ex eodem fuisset Christus naturaliter genitus. Unum tantum defuit, quod quidem in aliis matrimoniis est imperfectio, quamvis sit perfectio ratione finis ultimi. Jam operatio quæpiam non specificatur ex fine proximo, qui est tantum velut medium, sed ex fine ultimo. Proinde, licet in matrimonio Mariæ ac Josephi aliquid defuerit, quoad medium seu finem proximum, nulla tamen imperfectio fuit quoad finem ultimum ; atque ideo exstitit illud matrimonium, qua tale, simpliciter perfectum, tam in fine ipso, quam in substantia. Conjuges, quatenus conjuges, fuerunt simpliciter perfecti ; parentes fuerunt, sola dempta imperfectione, qua cæteri omnes parentes fiunt. Hæc est doctrina summorum Theologorum.

3° Immo dici potest doctrina communis Theologorum et Patrum, quam Suarez sic compendio tradit — « Res illa (matrimonium Mariæ) fuit gravissima, quæ ad statum totum vitæ pertinebat et *ad mysterium Incarnationis proxime ordinabatur.* » (*3. q. 29. d. 7. s. 2. n. 9.*) — Juxta Patres et Doctores, matrimonium Mariæ finem habuit — ex ordinatione divina — sacrosanctam Verbi Incarnationem ; atqui matrimonium Mariæ fuit ipsummet matrimonium Josephi ; non potuit enim Maria matrimonium inire sola ; ergo matrimonium Josephi eumdem finem habuit. Ergo Verbum Incarnatum est filius seu fructus hujus matrimonii ; ergo filius utriusque conjugis ; ergo parens uterque conjux. Ideo non soli Mariæ, sed et ipsi Josepho omnia officia parentis erga divinam Prolem *vi matrimonii* imposita sunt.

Fucum in ea re facit silentium, quod plerique Patres et Doctores affectant de Josepho, dum loquuntur de matrimonio Virginis. Et quidem sine ambage proclamant illud matrimonium fuisse ordinatum ad exsequutionem magni Mysterii, sed altis-

sime tacent Josephi nomen. Quis tamen non videt eosdem Patres ac Doctores simul necessario proclamare matrimonium Josephi eumdem finem habuisse ? Hanc identitatem bene perspiciens Thomas, pronuntiavit simpliciter : Prolem illam esse bonum matrimonii Josephi et Mariæ quia per matrimonium Josephi et Mariæ suscepta est : ideoque matrimonium fuit perfectum, etiam sub ratione *productæ* prolis. Heic paucis et accurate, uti solet, sententiam Patrum et Doctorum compendiavit.

Neque dicatur : fuisse hoc matrimonium a Deo institutum, non propter Josephum sed propter Mariam. — Respondeo, nec propter Mariam fuisse institutum, sed propter Verbum Incarnatum. Insuper, quamvis propter solam Mariam institutum fuisset, haud certe a sola Maria potuit perfici, atque ideo, sin minus directe et explicite, at saltem indirecte et implicite propter sponsum institutum est. Sed de hoc redibit sermo.

4° Confirmari hæc omnia possunt alia consideratione. Pluries in Scriptura vocatur Josephus simpliciter pater, cum Virgine, parens γονεις. Jamvero est regula hermeneuticæ et sanæ critices, ut verba accipiantur sensu obvio et prout sonant, nisi aliquid obstet ; et, si quid obstet, salvetur sensus obvius quantum fieri potest. Obstat quidem omnino Scriptura et tota Ecclesiæ fides, quo minus dicatur Christus PER *matrimonium* Josephi et Mariæ *generatus*; nihil autem obstat quominus dicatur PER *matrimonium susceptus*. Aliunde hæc interpretatio sola, aut saltem magis quam reliquæ, salvat proprietatem verborum Scripturæ. Ergo sola, aut magis quam reliquæ, est accipienda.

In fine thesis sequentis afferetur ratio theologica, quæ utrique thesi communis est et congrua.

THESIS UNDECIMA

S. Josephus, non matrimonio tantum, sed etiam virginitate, seu matrimonio virgineo, concurrit ad procreationem, de Spiritu sancto, Verbi Incarnati.

DECLARATIO. Potuissemus hanc thesim jungere cum præce-

denti, cujus est pars altera, nisi longior jam prima fuisset. Idem erit processus, adductis novis argumentis.

DEMONSTRATIO. — 1° Ex s. *Hieronymo*. — « Tu dicis Mariam virginem non permansisse ; ego mihi plus vindico, etiam Joseph virginem fuisse per Mariam : UT EX VIRGINALI CONJUGIO *virgo Filius nasceretur*. » (*Contra Helvid. n. 19.*)

Scilicet, sicut « hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter quod proles illa (Verbum Incarnatum) susciperetur in eo et educaretur » (S. Thom.), ita virginitas in hoc matrimonio ad eumdem finem ordinata est, « ut ex virginali conjugio Filius Dei nasceretur ». Concordant omnino s. Hieronymus et s. Thomas. Licet enim iste mentionem de virginitate explicite non faciat, quum loquatur de *hoc* matrimonio, prout exstitit — quod, cæteroquin, docet explicite fuisse virgineum — necessario de virginali conjugio dixit ; eo vel magis quod ibi solvit objectionem ex virginitate hujus matrimonii obortam. Vicissim, licet s. Hieronymus virginitatem directe intendat, de ipso tamen conjugio pronuntiat : quod *ex eo* Filius Dei natus sit. Igitur, ab utroque s. Doctore certum habemus : quod Filius Dei natus sit ex virginitate conjugali vel ex conjugio virgineo.

Hanc mentem et fere verba utriusque s. Doctoris videtur referre *Collecta*, quæ, ante 4 vel 5 sæcula in pluribus missalibus legebatur : « *Deus, qui sanctum Joseph virginem virgini Mariæ, ut ex virginali conjugio Jesus Christus Filius tuus virgo nasceretur, sociari matrimonialiter voluisti, libera tuos ab omni malo et præsta, ut ipsius sponsi meritis venire ad convivium tuæ cœlestis dulcedinis mereamur. Per eumdum D. N. J. C.* » — Hæc oratio plane dici potest Hyeronymiana.

2° Exstat sermo de *Annuntiatione*, qui perperam olim s. Augustino tribuebatur, sed cujus auctor pervetustus mirifice s. Hieronymo concinit. Ipse introducit Angelum sic cum Josepho loquentem. « Habe ergo, Joseph, cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virginibus membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi (potius forte *mater* Christi) in carne sua, virginitate servata ; sis autem et tu pater Christi cura castitatis et honorificentia virginitatis : *ut de virginibus membris generetis* sæculis christianis sponsum

virginitatis et maritum castitatis... Gaude itaque, Joseph, nimiumque congaude virginitati Mariæ, quia solus meruisti virginale possidere conjugium (sc. fecundum), quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris. » Virginali conjugio tribuitur nexus causalis cum procreatione Filii Dei.

3° Sed illud idem fuisse in communi Patrum ac Doctorum prædicatione videtur adserendum. Etenim aiunt virginitatem Mariæ fuisse ordinatam ad Verbi Domini Incarnationem ; post ipsos et cum ipsis Ecclesia laudat Mariæ virginitatem fecundam : atqui connaturaliter non potuit Mariæ virginitas esse fecunda, nisi simul cum virginitate Josephi. Etenim scite observat Albertus M., fuissse virginitatem Mariæ — tum quando concepit — plane diversam a virginitate viduæ vel puellæ liberæ ; fuit quippe virginitas *uxoratæ* ; virginitas autem uxoratæ necessario appellat et supponit sociam virginitatem viri. Ideoque non potest esse virginitas uxoris fecunda, quin connaturaliter sit etiam fecunda viri virginitas. Christus virginis quidem fuit filius, sed virginis conjugatæ, hanc duplicem formalitatem connotans ; proinde filius etiam fuit eadem ratione Josephi.

« Fuit virginitas Mariæ, ait Suarez (l. c.), propter altissimum finem a Deo ordinata. Nam et ad filii generationem ordinata est, quod est admiratione dignissimum, et ad consecrandum Deo thalamum ex quo factus homo nasceretur, quo nihil potest perfectius ac excellentius intelligi. »

Unde revera virginitas Mariæ directe ordinabatur ad suscipiendum Dei Filium ; hæc autem virginitas habebat sociam virginitatem Josephi : ergo etiam virginitas Josephi ordinabatur ad eumdum finem. Ideo s. Hieronymus accurate dixit : Etiam Joseph fuit virgo *per Mariam* : ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur ». In aliis conjugiis, quum proles ex semine oriatur, principalis pars tribuitur viro ; in hoc conjugio, quum proles ex virginitate florescat, principalis pars tribuenda est Mariæ : ita tamen ut utrique conjugi tribuatur.

Ast ipsius Josephi virginitas directe requirebatur, haud equidem « ad consecrandum Deo thalamum ex quo nasceretur », sed thalamum in quo jam natus reclinaretur.

Huc essent revocanda verba s. Ephrem, quibus aperte dicit Josephum *obumbratione sua* concurrisse ad fecunditatem sponsæ suæ Mariæ.

4° Et jam melius forte intelligetur alius locus s. Augustini, qui videtur omnino cum s. Thoma et s. Hieronymo consentire. — « Maria nomen suum præponere noluit marito suo, sed dixit: *Pater tuus et ego.* Non ergo faciant *perversi murmuratores* quod conjux non fecit. Numeremus ergo generationes per Joseph, quia, sicut caste maritus, sic caste pater... Nam, si remoto illo, illam constituamus, dicit ille, et recte dicit : quare non per me generationes vel ascendunt vel descendunt ? An dicitur ei : quia tu non genuisti opere carnis tuæ ? Sed respondebit : Numquid illa opere carnis suæ peperit ? Quod Spiritus sanctus operatus est utrique operatus est. *Cum esset*, inquit, *justus*. Justus ergo vir, justa femina : Spiritus sanctus, in amborum justitia requiescens, ambobus filium dedit. Sed in eo sexu, quem parere decebat, hoc operatus est quod etiam marito nasceretur. » (Ser. 51, c. 20, n. 30.)

Observa. Sicut s. Cyrillus magnus exstitit maternitatis divinæ defensor et præco, ita s. Augustinus videtur fuisse provisus ut paternitatem Josephi veram defenderet ac prædicaret. Vel ab initio episcopatus sui usque ad finem, sæpius locutus est de hac parternitate, nec in libro Retractationum, quidquam super hoc retractandum judicavit. Porro nunquam vult agnoscere paternitatem putativam, quam respuit, numquam mere adoptivam, multo minus nutritiam ; sed semper veram, objectivam, licet castissimam, tuetur ac prædicat. Ut in multis quæstionibus assolet, adducit plures modos, veros quidem, sed diversos ejusdem veritatis assequendæ. Ita Josephum dicit patrem caritate conjugali, patrem jure conjugii... Nunc ulterius progressus, dicit eum patrem *justitia*. In thesi sequenti videbimus qua ratione. Interim, ex loco recitato manifeste apparet velle eum tribuere Josepho paternitatem veram, quantum per virginitatem licuit. Ex toto discursu patet.

Nam *a*) Non vult Josephum separari, in ipsa generatione Verbi Incarnati, a Virgine Matre, quod absurde diceretur, si nihil, in hac generatione, veræ paternitatis haberet.

b) Sola ratio, cur separaretur, esset, quod ipse non concurrit opere carnis suæ ; sed, ait, si hæc ratio valeret pro Josepho, valeret etiam pro Maria, quia ipsa non concurrit (active), opere carnis suæ. Harmonice concordat cum s. Thoma, aut, si mavis, s. Thomas cum ipso.

c) Filius Dei incarnatus non est fructus materiæ sed fructus justitiæ, sub sola omnipotenti Spiritus sancti operatione.

d) Et certe nexus quidam exstitit meriti de congruo inter justitiam Mariæ et operationem Spiritus sancti — si vellet Spiritus sanctus in ea Filium Dei procreare ; — porro justitia ejusmodi exstitit in Josepho : « In *amborum* justitia requiescens » ; ideoque « *ambolus* Filium dedit ». Filium dedit, non distincte, sed identice. Certe hæc stare non possunt, si nulla ratione vera verum filium Josepho dedit.

e) Sed mentem suam, in clausula, ad vivum et per quamdam exaggerationem exprimit. Fere tam pater est Josephus quam Maria ; differentia in hoc est quod sola Maria potuit influxum directum Spiritus sancti recipere ; sed tamen ita Spiritus sanctus influxit in Maria ut id totum pro Josepho influeret : « In eo sexu quem parere decebat, hoc operatus est quod etiam marito nasceretur ». Qua ratione hæc dici possent, si Josephus fuisset tam MORALITER quam fuit revera physice extraneus Jesu ?

Itaque ex verbis ipsis, ex scopo, ex toto discursu s. Augustini, videtur heic paternitas Josephi vera et objectiva statui et in justitia fundari. — Quænam autem hæc justitia sit ? Videtur in mente s. Doctoris esse complexus omnium virtutum. Sed, quum constanter, et etiam ibi, exaltet castitatem conjugum inter se ac parentum Christi, haud incongrue legi potest : « Spiritus sanctus in amborum virginitate requiescens, ambobus filium dedit. Quod utique redit ad doctrinam aliorum Patrum et Doctorum.

5° *Confirmatur* hæc *præsens thesis* (cum *præcedente*) *ratione theologica*, quæ, mihi quidem, magnam vim habet.

Potuit efficere Spiritus sanctus ut actuatio seu procreatio naturæ humanæ Verbi penderet a concursu morali Josephi — quo in casu datur vera cooperatio ad ejusdem naturæ procreationem. Atqui, si id potuit Spiritus sanctus, id revera effecit.

Ergo, facto, cooperatus est Josephus moraliter — et extrinsece, — ad humanam Verbi generationem.

Major. Non videtur posse negari. Id unum posset negotium facessere, scilicet hunc concursum moralem et extrinsecum sufficere ad rationem paternitatis. Sed mox explicabitur ; et nuper audivimus Thomam dicentem posse prolem esse vere filium conjugum, vel in quantum per matrimonium generatur, vel in quantum per matrimonium suscipitur : ergo eadem ratione potest esse aliquis vere *pater.*

Minor. Incredibile omnino est Deum vocasse Josephum ad omnia — gravissima et innumera — onera paternitatis ferenda multos per annos, et quidem absque ullo prorsus humano præmio vel solatio, quin eidem contulerit tantum paternitatis veræ et objectivæ, quantum patiebatur Incarnati Verbi et Immaculatæ matris puritas. — Hæc enim unica ratio affertur, et est, cur ab omni carnali paternitate, uti poposcisset conjugium, fuerit remotus. — Ergo, dummodo servetur Matris ac Filii puritas ineffabilis, omnis possibilis paternitas est Beato Josepho adjudicanda.

Confirmatur 1° Josephus debuit exercere officia et jura paterna, tam connaturaliter quam fieri potuit : ergo debuit tam esse pater quam potuit.

Confirmatur 2° Deus, in sacrosancto Incarnationis mysterio magnifice et largissime operatus est : atqui, si non dedisset Josepho tantum paternitatis quantum, sola salva virginitate, potuit dare, parce, parcissime, cum Josepho egisset.

Confirmatur 3° Magnifice Josephus et largissime seipsum Deo Incarnato in omnibus paternitatis ferendis oneribus tradidit et consecravit ; atqui, si Deus eum non effecit patrem quantum efficere potuit, minus magnificus et largus fuisset quam ipse Josephus.

Unde scite et accurate Suarez (l. c.) « Beatus Joseph, non solum patris Christi *nomen*, sed etiam *rem*, quæ huic nomini substat, participavit *quantum*, excepta carnali generatione, *ab homine* participari potest ». — Hæc est regula theologica, quam quisque de paternitate Josephi disserens, debet ratiocinando sequi.

Supra diximus servandam esse proprietatem verborum Scri-

pluræ, quantum fieri potest. nec recedendum esse a sensu obvio, nisi minimum, quod necesse sit : heic dicimus esse sequendam rectam rationem, quantum fieri possit, nec esse recedendum ab ordine connaturali, nisi quod necessitas exigat. Ex utroque capite concludimus, Josephum vere fuisse patrem, concursu, quem, matrimonio et virginitate, præbuit, ut Spiritus sanctus sacrosanctam Verbi humanitatem produceret,

Scholion. Attentis iis quæ hucusque disseruimus, videtur officium *Desponsationis B. Mariæ Virginis* posse accuratius componi.

Meo quidem judicio, ut accuratum, non de *Desponsatione*, quæ est vox vaga, sed *de Matrimonio Beatissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ cum Beato Josepho*, officium componatur, sumenda sunt, ut idea et fundamentum, verba s. Thomæ recitata, simul cum verbis Hieronymi et Augustini. Matrimonium virgineum Mariæ cum Josepho tantam partem in utriusque vita obtinet, ut solum, juxta ss. Doctores, concurrerit moraliter ad exsequutionem magni Consilii. Id, nisi fallor, etiam multo clarius patebit post thesim decimam tertiam.

THESIS DUODECIMA

Hæc eadem doctrina expenditur et illustratur.

In generatione humana Verbi Incarnati non datur pater, sed neque mater eadem prorsus operatione ac in cæteris generationibus ; in istis requiritur prævia parentum operatio activa intrinseca ; in illa requirebatur tantum operatio activa extrinseca. Josephus huic operationi extrinsecæ cooperatus est ; ergo ad generationem Verbi Incarnati, cooperatus est. Sed non potuit cooperari ad generationem Verbi Incarnati, quin recte et vere dicatur Ejusdem pater.

Unde, sicut alia matrimonia eo fine instituuntur, ut proles ex iis suscipiatur, ita matrimonium Mariæ et Josephi, eo fine institutum est, ut Proles divina ab iis susciperetur. In modo tantum assequendi differunt.

Parentes non producunt animam, sed id tantum intrinsece producunt, quod Deum movet extrinsece ad creandam animam et ad eam materiæ infundendam. Hac ratione sunt parentes *hominis*, licet partem potiorem non producant. Maria et Josephus prærequisita extrinsece posuerunt ad Hominis Dei procreationem, quanquam et Maria materiam ministravit, quam non ministravit Josephus. Ideo autem non ministravit, quia licet id exigatur naturaliter, in generatione hac, supernaturaliter et ex sola matre effecta, sufficiebat, ad operationem Dei, prævia operatio parentum activa extrinseca, quæ sistebat in matrimonio virgineo. Hæc autem prævia operatio, non ex natura rei, sed ex sola speciali dispositione divina, ordinata est ad Incarnati Verbi procreationem.

Hæc jam videntur in tuto posita, sub auctoritate Thomæ, Hieronymi, Augustini, ac, implicite, cæterorum Patrum et Doctorum. Heic, sub forma *responsionis* ad *objectiones* eadem doctrina expenditur et confirmatur. Igitur

Dices 1° Matrimonium Mariæ ordinatum est tantum ad famam Virginis Matris contutandam, ut docet s. Bernardus. — « Cum esset Virgo et Virgo conceptura, Virgo paritura, mirum, cum desponsata fuerit non nuptura (i. e. virum non cognitura). Numquid vel hoc casu factum dixeris ? Non est casu factum, quod rationabilis causa commendat, causa valde utilis et necessaria et divini prorsus adinventione consilii digna... Necessario igitur desponsata est Maria Josepho, quando per hoc et a canibus sanctum absconditur et a sponso virginitas comprobatur, et Virginis tam verecundiæ parcitur, quam famæ providetur. Quid sapientius ? quid dignius divina Providentia ? Uno tali consilio secretis cœlestibus et admittitur testis et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis Matris. » (H. 2. *Missus.*) — Nihil ibi de ordinatione matrimonii ad Christi conceptionem.

Respondeo 1°. *Ad argumentum.* Aliud est *factum* ipsum *ordinationis* matrimonii ad Incarnationem, aliud *motivum*, propter quod Deus liberrime hanc ordinationem instituit:

De facto ipso non videtur posse ambigi. « Hoc matrimonium ordinatum est specialiter ad hoc ut proles illa susciperetur. » (*s. Thom.*)

Rationes vero (*de congruo*) hujus ordinationis plures a Patribus recensentur ; s. Thomas enumerat undecim. Sed ratio potissima est voluntas liberrima ordinantis. Igitur fama Mariæ — et Filii — fuit aliqua ex his rationibus ; sed non arguimus ex illa neque ex aliis, ad factum comprobandum. Attamen ex iisdem nemo non videt fuisse sapientissimum Dei consilium in hac ordinatione.

2° Et sic respondetur ad auctoritatem s. Bernardi. Minime excludit s. Doctor ordinationem matrimonii ad conceptionem Christi; quin potius includit; nam fama Virginis Matris ad conceptionem Christi referebatur ; ergo etiam matrimonium, quod, de decreto divino, hanc famam debuit servare. Unde, in recto s. Bernardus respicit famam Virginis, in obliquo, ipsam conceptionem, eo modo sapientissimo quo Deus decreverat, faciendam.

Dices 2° Hic qui dicitur concursus præstitutus operationi Spiritus sancti est mera conditio extrinseca ; sed ad paternitatem veram requiritur quædam causalitas. Ergo hæc quæ dicitur Josephi paternitas nullo modo est vera et objectiva paternitas.

Respondeo 1° *Indirecte.* Etiamsi esset mera conditio, maneret Christus specialissime devinctus, immo de existentia obligatus Beato Josepho ; nam, posito decreto divino de non exsequenda Incarnatione nisi hac conditione purificata, jam erat conditio necessaria ad existentiam Christi producendam ; purificatio autem conditionis tota pendebat ab actu libero Josephi, matrimonium virgineum ineuntis ; ergo etiam tunc ab actu libero Josephi pendebat aliquatenus productio existentiæ Christi.

R. 2° *directe.* — Hic concursus fuit mera conditio, relate ad Spiritum sanctum, *Conc.*, relate ad ipsam actuationem existentiæ Christi *subd*, si spectetur in se et *materialiter*, *Trans.*, si spectetur, uti fuit *formaliter*, iterum *subd*, fuit mera conditio extrinseca, quatenus nihil effecit *intrinsece* ad ipsam conceptionem, *Conc.*, quatenus, ex ordinatione divina, cum fundamento in re, non habuit nexum moralem cum procreatione Christi, *Nego.*

Hæc objectio, quæ forte potissima est in mente lectoris, debet accurate solvi, ut recte intelligatur doctrina jam stabilita.

Juxta s. Thomam et s. Augustinum, neque Beatissima Virgo

aliquid active operata est in ipsa conceptione Christi ; ergo *a fortiori* nequit operatio activa a B. Josepho requiri.

Nihilominus « matrimonium illud, utique virgineum, ad hoc *ordinatum* est specialiter, quod proles illa in eo susciperetur ». Quid hæc verba sibi volunt? Numquid matrimonium et virginitas Mariæ ac Josephi *moverunt* Spiritum sanctum, ut produceret in Maria et ex ea Prolem divinam ? Numquid Illum *determinaverunt* ad agendum ? Minime sane. Spiritus sanctus se solo et independenter movit ac determinavit. Sed etiam determinavit dependentiam existentiæ Christi a matrimonio virgineo ; i. e., nexum dependentiæ statuit inter matrimonium virgineum et productionem sacrosanctæ humanitatis Verbi. Potuit velle ut existentia Christi a nullo concursu creato penderet ; voluit ut penderet a matrimonio virgineo, ita quod istud matrimonium institueretur *ad hunc finem*.

Certe impossibile fuit quod quælibet actio creata haberet per se hanc tendentiam : sed numquid impossibile fuit quod Deus alicui actioni hunc finem assignaret ? Quis neget posse Deum nexum moralem præstituere inter actionem quampiam et effectum quem ipse solus vult producere ? Jamvero Spiritus sanctus inspiravit Mariæ ut matrimonium virgineum iniret cum Josepho *eo fine* ut illis daret Prolem divinam, atque sic divina Proles in hoc matrimonio susciperetur. Ergo non Maria et Josephus moverunt Spiritum sanctum, sed Spiritus sanctus movit Mariam et Josephum ut *per* matrimonium virgineum susciperent Filium.

Igitur matrimonium virgineum fuit quidem conditio — liberrime præstituta — in ordine ad operationem Spiritus sancti ; sed rationem habuit *causæ finalis* in ordine ad existentiam Christi. Hæc est, nisi me mea fallat opinio, mens Patrum et Doctorum asserentium matrimonium ac virginitatem Mariæ (et consequenter Josephi) fuisse ordinata immediate ad Incarnationem. Hoc intendunt, quum aiunt hoc matrimonium, etiam sub ratione prolis, non materialiter tantum, sed formaliter, perfectum. Hoc intendit Thomas, dum dicit divinam Prolem fuisse *effectum* hujus matrimonii, quia *per* hoc matrimonium *suscepta est* sicut *per* matrimonium aliæ proles *generantur*.

Sed enim hæc *ordinatio* anne fuit mere arbitraria ex parte Dei, an, quamvis liberrima, cum certo fundamento in re ? Multas actiones potuit Deus ordinare, sub ratione causæ finalis, ad procreationem Verbi Incarnati : potuit, ex. gr., exigere a Maria orationem, qua postularet adventum Messiæ, vel actum quempiam caritatis... Quisque videt has actiones nullam omnimo habere relationem cum prole suscipienda, præter illam quam Deus instituerit.

At vero, *ordinando* matrimonium virgineum ad Christi procreationem, maximam in ipsa re convenientiam Deus nobis indigitavit. Etenim, ad prolem suscipiendam, quid aptius quam matrimonium ? quid aptius quam virginitas, ad prolem divinam ? Nullus est nexus logicus vel connaturalis inter orationem et procreationem filii ; est hujusmodi nexus inter matrimonium et filii conceptionem. Ideoque, quum, inter homines, filius non oriatur nisi ex matrimonio, et aliunde Filius Æterni Patris veniret ut Filius Mariæ, omnino congruebat ut ex matrimonio nasceretur. Dico *ex* matrimonio, et non tantum *in* matrimonio nasceretur : quia semel statuto, quod Mater Christi deberet matrimonium inire, quum matrimonium tendat per se ad hoc quod, quantum potest, sit causa prolis, huic tendentiæ connaturali non satis fuisset factum, si proles *in* matrimonio tantum non autem *ex* matrimonio ortum habuisset. Igitur, si Christus nasci debuit ex uxorata, debuit connaturaliter nasci *ex* ipsomet matrimonio, tanquam aliquatenus *causa* ejus existentiæ. Quid mirum si, præ omni alia actione, Deus matrimonium Mariæ et Josephi ordinaverit ad finem matrimonii connaturalem consequendum ?

Præterea, diximus, per matrimonium conjuges fieri unum coprincipium in actu 1° generationis : cur Spiritus sanctus supplevit, tam in Maria quam in Josepho, actum 2ᵐ hujus coprincipii ? Ratio fuit virginitas utriusque ; nam, si virginitas communis hujus coprincipii violata fuisset, jam suæ operationi locum Spiritus sanctus non invenisset. Ergo, etiam ex hoc capite *ordinatio* — gratuita quidem — virginitatis conjugalis ad procreationem Filii Dei per solum Spiritum sanctum, non fuit sine fundamento a parte rei. Hæc autem virginitas conjugalis, non

prævie tantum concurrit, sed in ipsamet operatione Spiritus sancti ; nam eo momento florebat sancta conjugalis virginitas.

Unde bene intelligitur quod voluerit Deus pendere existentiam Christi *in fieri* a matrimonio virgineo. Et ita censeo esse s. Thomam accipiendum. — « Hoc matrimonium ordinatum est specialiter ad hoc quod proles illa in eo susciperetur et educaretur ». Scilicet, ordinatum est ad prolem *in fieri* — « ut susciperetur », sicut in aliis proles generatur ; — « et in *facto esse* — « quod educaretur ». — « Spiritus sanctus, in amborum justitia requiescens, ambobus filium dedit. » (Aug.) — « Joseph virgo fuit per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo Filius nasceretur... » (Hieron.)

Dices 3° — Si Beatus Josephus fuisset hoc modo pater Christi, debuisset consensus ab eo expeti, aut saltem debuisset ipse præmoneri ; atqui neutrum.

Respondeo. Nego simpliciter majorem ; vel *distinguo* : Debuisset consensus expeti, aut monitio præmitti, si *nexus* inter matrimonium et existentiam Christi ab ipso debuisset poni, *Conc.* vel *Trans.* ; si a solo Deo hic *nexus* positus est, *subd.*, debuisset expeti consensus, si jam consensum implicitum non dedisset, *Trans.*, si dedit, *nego* ; vel iterum *subd.*, et melius fuit non expeti vel differri, *Conc.*, secus, *nego.*

Ex dictis ordinatio matrimonii virginei ad hoc quod proles in eo susciperetur, facta est specialiter a Deo solo, et, consequenter ad hanc ordinationem, processit effectus. Itaque non necesse fuit ut conjuges vel ordinationem vel effectum cognoverint, dum contrahebant. Non ideo voluerunt contrahere, ut Proles divina nasceretur, sed Deus voluit eos contrahere ad hunc finem per se solum exsequendum. Satis igitur fuit, ex parte ipsorum, ponere libere causam finalem, ut implicite voluerint effectum. Optime notat Suarez (l. c.) Beatam Virginem non nupsisse nisi instinctu divino, scilicet divino, quo, in singulis actibus, regebatur Spiritu. Voluntas ejus ineffabiliter sancta et recta promptissime ferebatur quocumque ordinabat gratia. Sanctissimi conjuges non poterant non velle quod, per matrimonium divina inspiratione contractum, volebat Deus consequi.

Præterea omne matrimonium per se tendit in actu 1° ad pro-

lem suscipiendam, naturali quidem via, sed minime exclusa supernaturali, quia per se tendit ad prolem omni modo legitimo habendam. Ergo matrimonium Josephi et Mariæ tendebat per se ad prolem supernaturaliter suscipiendam, si Deo hac via dare placuisset. Ergo ad hanc susceptionem implicite jam datus fuerat consensus.

Attamen revera etiam *explicitus* consensus utriusque expetitus est, sed tempore, pro cujuscumque conditione, magis opportuno.

Quum in ipsa Maria esset hic et nunc complendum mysterium, bene intelligitur quod, antequam compleretur, ab ipsa consensus peteretur, tum ne expavesceret, tum maxime, ut quasi ab ipsa penderet totum Redemptionis opus, cum infinitis suis consequentiis. — Quod utique ostendit quanta Deus hominem reverentia tractet, quodque plane sub indicat eumdem Deum noluisse Josepho onera parentis Christi imponere, citra ejus liberum consensum. — Sed par non fuit ratio cur vel a primo instanti consensus Josephi peteretur ; satis fuit petere, quum ipse ministerium patris aggrederetur. (Plenum jam dederat consensum ad ministerium suum sponsi ejusque consectaria omnia.)

At vero, si Josephi consensus explicitus, sicut Mariæ statim non requirebatur, longe melius fuit eumdem ad tres menses differri. — 1° Magnum sanctus Vir justitiæ experimentum et exemplum ostentavit, magnumque sibi meritum reportavit. — 2° Præcellens affulget humilitas simul et prudentia Mariæ. — 3° Intemerata utriusque conjugis virginitas commendatur. — Sed 4° purissima Filii nativitas mirabili certitudine comprobatur. Audi Chrysostomum. « Postquam dixit (Evangelista) quod esset ex Spiritu sancto, sermonem suum etiam aliunde confirmat Ne enim aliquis diceret : Et unde hoc potest esse manifestum ? quis vidit ? quis audivit aliquando tale aliquid contigisse ? Neque putasset discipulum quasi gratificatum magistro ista confingere, introducit Joseph ex his quæ passus est, fidem dictis per cuncta facientem, ut plane hinc dicere Evangelista videatur : Si mihi non credis, et testimonium meum forte tibi suspectum est, crede igitur vel marito »... (*In Matt.*)

Hoc idem exponit Jansenius (*Gandav.*). — « *Joseph autem vir*

ejus cum esset justus... Convenienter Evangelista in confirmationem virginei conceptus inducit Joseph de conceptu illo prius dubitantem et deinde angelica revelatione confirmatum. Sicut enim ad nullum magis pertinebat castitatem Virginis observasse, quam ad maritum, ita nullus eo certior esse poterat testis casti conceptus. Ob id Deus fluctuare secum ac dubitare permisit, quo sic angelicæ confirmationis locus fieret et per illius dubitationem omnis a mentibus nostris dubitatio tolleretur. Proinde non convenebiat, ut ab angelo ante conceptum edoceretur mysterium virginei conceptus ».

Scribebat jam sæculo 4 s. Ephrem. — Tibi interim, speciosissime Puer, coronam aliam, justus cordatusque Josephus porrigit, ille nimirum, quem olim dubio hærentem agitatumque Angelus, eidem in somnis apparens, confirmavit, ille qui te ex Ægypto subduxit, dignum propterea, cujus dignitatem amplifices, eo vel maxime quod summa hominis integritas præclarum dedit tuæ innocentiæ ac sanctitati testimonium. » (*Tom. 3, p. 600.*)

Corollarium. Cuique meditanti facile constabit quid ex hac doctrina s. Thomæ, s. Hieronymi, s. Augustini et aliorum accedat roboris thesibus supra evolutis. Nomen hæreditavit Josephus, quod est super omne nomen ; sed quia *rem*, quæ huic nomini subest participavit quantum, excepta carnali generatione, participari ab homine potest (*Suar.*) ; officia et jura patris sortitus est, paternum amorem, persentit, sed ex inclinatione naturali et ex lege naturæ ; item Filius Dei erga Josephum omnes filii partes complevit, quia ex cooperatione, morali quidem, sed vera et objectiva, Josephi filius natus est. Non jure tantum conjugii, et ratione duntaxat suæ sponsæ, pater fuit, sed ratione concursus prævii, ac etiam actualis, qui, ex ordinatione divina, connectebatur cum procreatione Verbi Incarnati.

Ideoque excellentiæ omnes, omnes affinitates cum Deo, quas in præcedentibus thesibus experti sumus, mirum in modum illustrantur et perficiuntur. Josephus excellentiam patris Verbi Incarnati et affinitatem paternam cum Filio Dei participavit quantum ab homine, (et Angelo), excepta carnali generatione, participari potest (præsenti in ordine).

THESIS DECIMA TERTIA

Ministerium s. Josephi in ordine unionis hypostaticæ reponitur intrinsece.

Declaratio. 1° Hæc thesis non est nisi corollarium præcedentis. Eadem gaudet certitudine theologica. Nullibi, quod sciam ego, hanc invenies expositam, sicut nullibi præcedens exponitur : quæ causa est, inter alias, cur excellentia Josephi propria vix agnoscatur et cultus ejus imminutus perseveret. Suarez quidem quæstionem attigit, sed non ea qua solet vi, nec ea veritate qua par est, ut infra dicemus.

2° « Deus, ait Toletus, tripliciter se communicat creaturæ. *Primo* per creationem, qua omnibus dedit esse, in quo analogice cum Deo conveniunt, dicunturque Deum aliquo modo participare. *Secundo*, per gratiam et gloriam, quibus creaturas multo magis elevavit et iis se dedit magis, quia per gratiam et gloriam creatura Deo fruitur per amorem et visionem. Sed adhuc per hos modos nondum Deus se perfecte tradiderat creaturæ, sed tantum per modum objecti et per modum similitudinis. At in Incarnatione seipsum communicavit, dum seipsum creaturæ, in qua omnes naturæ et spirituales et corporales in virtute continentur, id est homini, univit in persona, ut jam non tantum dicatur : *Homo Deum participat*, *Homo de Deo fruitur*, sed *Homo est Deus et Deus est homo.* » (In 3. q. 1 à 1.)

3° Triplex inde rerum ordo : ordo naturæ, ordo gratiæ, ordo unionis hypostaticæ. In primo ordine res accipiunt a Deo omne id quod sunt ; ideoque se communicat virtute ; in secundo, res accipiunt quod est Deus, sed ad modum accidentis, ideoque se communicat per donum creatum ; in tertio, natura quædam humana accipit quod est Deus substantive, quod quum non possit esse per se natura divina, est divina Persona. Persona divina communicat se, atque proin Deitatem ; ideoque in hac natura humana habitat substantive plenitudo divinitatis.

4° Ordo dicit multiplicitatem redactam ad unitatem : ordo naturæ constat innumeris creaturis, quæ diriguntur ad pulchri-

tudinem universi et ejusdem conservationem, juxta leges iis a Deo præstitutas ; ordo gratiæ constat omnibus, qui formaliter gratia aut gloria ornantur, et omnibus, quæ per se ad gratiam procurandam vel conservandam, aut reparandam, faciunt ; ordo unionis hypostaticæ constat unica natura humana Deo personaliter et substantialiter unita, omnibusque donis et privilegiis, quæ hanc unionem comitantur et consequuntur.

5° Finis ultimus horum trium ordinum est gloria Dei consequenda ; finis intermedius, ac etiam relative ultimus, est gloria Verbi Incarnati atque, ejus solius virtute, totus ordo gratiæ.

6° Hic triplex ordo divina regitur Providentia, quæ tota plena sapientia et amore, in eo sistit, quod singulis finem assignet et media provideat hujus finis assequendi. Verum Deus providet singulis ordinibus, prout exposcit natura rerum et finis ; ideoque, licet una sit in se, triplex tamen terminative dici potest : Providentia naturæ, Providentia gratiæ, Providentia unionis hypostaticæ ; ita tamen, ut ordo naturæ subordinetur et subserviat aliis ordinibus, atque aliquatenus subserviat et subordinetur ordini unionis hypostaticæ ordo gratiæ.

7° Nulla creatura, præter humanam Verbi naturam, est vel esse potest, in ordine unionis hypostaticæ, formaliter ; potest tamen, *ministerialiter* vel *reductive*.

Reductive : omnes omnino creaturæ, quælibet sint, reducuntur tandem, directe vel indirecte, per se vel per aliud, ad gloriam divinæ Personæ incarnatæ ; sicut per Ipsam et cum Ipsa et in Ipsa, omnis Deo honor et gloria.

Ministerialiter creatura potest esse in ordine unionis hypostaticæ, intrinsece vel extrinsece. Porro ministerium generatim dicitur : series actionum, quæ vel a superiore vel lege ad aliquem determinatum finem instituuntur, sub causæ principalis regimine.

Ministerium non specificatur ex termino materiali, sed *ex ratione formali*, propter quam instituitur ; et sic circa eumdem terminum plura dari possunt ministeria specifice diversa. Unde, illud tantum dici potest ministerium unionis hypostaticæ, quod ipsa unione hypotatica *determinatur* ; minime vero illud quod ad illam tantum terminatur.

8° Ut ministerium creaturæ pertineat *intrincese* ad ordinem unionis hypostaticæ, non satis est quod ipsa *determinetur*, sed necesse est omnino ut aliquid in hoc ipso ordine efficiat. Hoc autem esse non potest, nisi concurrat ad constitutionem hujus ordinis vel ad ejus conservationem. Nam, si ministerium aliquod supponit ordinem jam constitutum *in fieri* et *in facto esse*, impossibile est aliquid ei ministrare *intrinsece*.

Igitur *ministerium* creaturæ dicitur pertinere *extrinsece* ad ordinem unionis hypostaticæ, quum, supponendo hunc ordinem jam constitutum et existentem, tendit *formaliter* ad ejus fructus notificandos, applicandos, spargendos, proindeque ad gloriam extrinsecam divinæ Personæ incarnatæ procurandam et promovendam. — Dico, *formaliter*, quia, materialiter et passive omnia, ut diximus, reducuntur ad manifestionem, exaltationem, glorificationem unionis hypostaticæ, quin tamen proprie *exerceant*, vel extrinsece, ministerium in hoc ordine.

9° Hisce prælibatis, dicimus in thesi, ministerium s. Josephi — simul cum ministerio Bmæ Virginis, hocce primario, altero secundario — reponi *intrinsece* in ordine unionis hypostaticæ. Neque pugnat hic modus dicendi cum dictis in thesi præcedenti, in qua statuimus s. Josephum concursum præbuisse *extrinsecum* duntaxat ad procreationem Verbi Incarnati. Scilicet *concursus* s. Josephi non fuit *intrinsecus* procreationi humanæ naturæ assumptæ, sub ratione *causæ officientis*, neque sub ratione causæ materialis — et hoc intendimus in thesi præcedenti ; — sed intrinsecus fuit sub ratione causæ finalis, quatenus ministerium ejus ordinabatur ad Incarnationem tum *in fieri* tum *in facto esse*, tanquam ad finem, propter quem instituebatur. Hic est sensus thesis præsentis.

Et jam thesis, quæ videtur certa, fere demonstrata est.

Demonstratio. — *Ministerium s. Josephi reponitur intrinsece in ordine unionis hypostaticæ.*

« Hoc matrimonium ad hoc ordinatum est specialiter quod proles illa in eo *susciperetur* et *educaretur*. » (*s. Thom.*) — « In amborum justitia requiescens (*Spiritus sanctus*) ambobus filium dedit. » (*s. Aug.*) — « Joseph virgo fuit per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur. » (*s. Hieron.*)

Unde sic : Illud ministerium pertinet *intrinsece* ad ordinem unionis hypostaticæ, quod totum quantum est, determinatum fuit ab Incarnatione *in fieri* et *in facto esse*. Atqui sic ministerium s. Josephi. Ergo.

Major habetur ex definitione. — Observa tantum, ad rationem ministerii pertinentis intrinsece ad ordinem unionis hypostaticæ sufficere quod determinetur ea *vel in fieri*, *vel in facto esse*, quia tam ejus conservatio, quam ejus actuatio, est tandem ipsa eadem unio hypostatica. Si ministerium determinetur ea tantum *in facto esse*, minus quidem perfectum erit, sed tamen ad eam intrinsece pertinebit.

Minor 1. Pars. *Determinatur ab Incarnatione in fieri*. Nam, ex dictis, et ex auctoritatibus modo recitatis, matrimonium Josephi et Mariæ — cum omnibus quæ ex matrimonio consequuntur — a Spiritu sancto institutum est, ut ipse in eo procrearet filium. Ergo nexum habet cum Incarnatione *in fieri*, non ratione causæ efficientis, nec ratione causæ finalis *naturalis*, sed ratione causæ finalis supernaturalis a Deo specialiter institutæ.

Heic, præter alia argumenta superius facta, illud in memoriam revocabo quod licet minus apodicticum, utpote ex sola ratione theologica ductum, evidentiam tamen moralem, nisi fallor, parit. Nimirum potuit Deus hanc perfectionem ministerio Josephi tribuere, ut quam proxime accederet ministerio Mariæ, utque penderet quam maxime ab eo, citra generationem carnalem, procreatio divinæ Prolis. Porro, si potuit, certo fecit. Ergo.

a) Deus ipse instituit matrimonium Mariam inter et Josephum ; atqui incredibile est Deum voluisse conjuges, esse unicum coprincipium in actu 1° suscipiendæ prolis, quin simul voluerit eosdem esse parentes in actu 2° ejusdem prolis, quantum per divinam puritatem licuit.

b) Eo ipso quod Deus voluit Josephum jungere Mariæ per vinculum omnium strictissimum et perfectissimum, impossibile moraliter videtur, non voluisse simul perfectionem hujus vinculi tantum se extendere, sola servata virginitate, quantum se extendere potuit.

c) Et certe, si Deus integrum fecisset Mariæ eligere vel secus

Josepho hanc perfectionem ministerii, proculdubio elegisset : quomodo Deus hanc eamdem, propter Mariam, non elegerit !

d) Quum matrimonium imposuerit Josepho tot et tanta onera quot et quanta imposuisset ejus concursus in ordine morali ad procreationem divinæ Prolis, admitti non potest Deum Josepho sola onera voluisse imponere, absque ullo privilegio hisce oneribus respondente ; eo vel magis quod ipse Josephus, summa sui abnegatione, totum se tradebat Deo ad divinæ Prolis obsequium.

e) Quum voluerit Deus sociare Beatissimum Virum sanctissimæ Mariæ in ferendis omnibus Incarnationis oneribus, immo et ipsius maternitatis divinæ, impossibile est non voluisse pariter sociare in omnibus privilegiis eamdem Incarnationem et maternitatem spectantibus.

Unde, esto quod hæc *absolute* non repugnent ; sed eo ipso quod Deus nobis revelavit Josephum vinculo conjugali fuisse Bmæ Virgini devinctum, et omnia Incarnationis onera portasse censendus est satis dixisse eumdem Josephum omnia privilegia sponsi Virginis et patris Christi consequutum fuisse ; adeoque participasse maternitatem divinam quantum potuit participare, et tantum fecisse ad procreationem Christi, quantum potuit facere.

Igitur, si Deus potuit nexum instituere causalem seu dependentiæ inter ministerium Josephi et Incarnationem *in fieri*, certo instituit. Id autem potuisse Deum, quis inficiabitur ? Cæterum hæc argumenta non afferuntur nisi in confirmationem præcedentium.

2. Pars. *Minoris. Hoc ministerium pertinet ad unionem hypostaticam in facto esse.*

Demonstratio. 1° Ex eadem auctoritate s. Thomæ. « Hoc matrimonium — cum consectariis — ad hoc ordinatum est specialiter, quod proles illa... *in eo educaretur.* » — Unde sic : Hoc ministerium pertinet intrinsece ad unionem hypostaticam *in facto esse*, quod a Deo specialiter *determinatum* est ad ejusdem debito modo conservationem ; atqui ita ministerium s. Josephi ; nam « educatio prolis » nihil aliud importat, quam ejusdem conservationem debito modo. Ergo.

Iterum Angelicus. « Manifestum est, quod ad *educationem hominis* non solum requiritur *cura* matris, a qua nutritur, sed multo magis *cura* patris, a quo est instruendus, defendendus et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus. » (*2. 2. q. 154, a. 2. c.*) — Ibi evidenter s. Thomas « educationem » intelligit conservationem debito modo prolis. Igitur, quum dicit ministerium Josephi « fuisse ordinatum ad educationem divinæ Prolis », intelligit pariter fuisse ordinatum ad ejusdem conservationem ; eo magis, quod hoc quæstio non potuit esse de educatione, seu instructione, præcisive et pro prie dicta. Hoc autem nihil aliud est quam ordinatio ad prolem *in facto esse.*

Et notare est quod ait s. Doctor, scilicet, patrem, nata jam prole, adhuc ei multo magis esse necessarium quam ipsam matrem. Revera pater necessarius est fere tam matri quam proli ; quod omnino locum habuit in sacrosancta Verbi Incarnati nativitate.

Et sane, qua tandem de re institutum est ministerium curæ paternæ et paternorum officiorum erga Verbum Incarnatum ? Tota ratio fuit exigentia connaturalis ipsius ordinis hypostatici, prout decreverat Deus illum constitui. Volebat Deus, Verbum Incarnatum nasci omnibus infantiæ, paupertatis, ac etiam persecutionis, necessitatibus circumdatum et pressum ; volebat nasci ex tenera matre virgine ; sed nolebat portentis matri nec parvulo subvenire. Debebatur tamen connaturaliter matri subsidium, infantulo præsidium et auxilium. In hac tanta rerum acerbitate non defuit Deus : ministerium instituit, quod connaturali *sponsi* titulo matri subveniret, quod connaturali titulo *patris* Infantem ex omnibus casibus eriperet et omnibus bonis cumularet.

Quid igitur ministerium Josephi ? Complet connaturaliter ea quæ desunt humanæ naturæ assumptæ ; supplet vel exercet providentiam specialissimam Patris in ordine hypostatico. Hoc ministerium exigit singula momenta totamque personam, nec est quidquam, quod non referatur ad divinam Prolem. Ergo hujus ministerii formalis ratio ducitur tota ex ordine hypostatico *in facto esse.*

Faxis attendas hanc rationem ministerii s. Josephi. Diximus supra, Providentiam, unam in se, quasi tripartiri pro triplici rerum ordine, ita ut Providentia ordinis unionis hypostaticæ sit sublimior et perfectissima, prout regitur amore Patris erga Filium Unigenitum. Jamvero Pater Æternus ministerium Josephi instituit, ut Providentiam suam erga Filium Unidilectum exerceret ac perficeret. Ministerium Josephi est, magna parte, ipsamet Providentia ordinis hypostatici, visibilis, connaturalis, indeficiens, semper vigilans et benefica. Quid excellentius ! quid magis affine Patri, Filio, Spiritui sancto !

2° Hæc eadem minor confirmari potest ex locis bene multis, in quibus Patres ac Doctores tuentur, omnes ad unum, ministerium Josephi scopum habuisse curam, custodiam, defensionem, nutrimen, cultumque vitæ omnem Dei Infantis. Ipsi sane non theologica methodo rem exponunt, sed rem plane agnoscunt et proclamant. Dicatur quantumvis Josephus pater duntaxat nutritius et putativus : etiam sub hac tam imminuta ratione, manet ejus ministerium ordinis unionis hypostaticæ, quia tota, etiam tunc, ejus ratio ducitur ex hoc ordine *in facto esse.*

Scholion. Probabilissime, ne dicam certo, Beatus Josephus, una cum Sanctissima Sponsa, in altissimo divinæ mentis decreto de Verbi Dei Incarnatione — quæ facta est — a tota æternitate fuit inclusus. (V. Marchesi, p. 120.)

Etenim, quum tractaretur de Unigenito Dei, pro mundi salute carnem sumpturo, non ex nihilo, neque ex limo aliave materia plasmatam, sed ex humani generis derivatam propagine, scilicet ex muliere, virgine quidem, sed *desponsata viro* : necesse fuit, ut Deus ipse, quemadmodum de Filii sui adoranda Incarnatione, ita de ejus matre, deque matris ejus sponso, *ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*, cogitaret, ambosque ad tantum munus obeundum a tota præordinaret æternitate. In hoc igitur Dei decreto de ineffabili Incarnationis mysterio, tres, de facto, inscribebantur Personæ, videlicet : Æterni Patris Filius, qui in plenitudine temporum debebat seipsum *exinanire, formam servi accipiens*, Beata Virgo Maria, ex qua Verbum Dei caro fieri debebat, necnon s. Josephus « electus et specialis per quem et sub quo Christus est

ordinate et honeste introductus in mundum ». (Bern. Sen.)

Illi theologi qui, tenentes in Deo dari scientiam mediam (parum refert de nomine), signa rationis in decreto divino non admittunt, non possunt negare Josephum, sicut cætera, inclusum fuisse in Dei decreto uno de Incarnatione, sed ita ut Beatus Vir quam proximus esset, post Mariam, Verbo Incarnato.

Illi autem qui hæc signa rationis admittunt, meo quidem judicio, debent ratiocinari de Beato Josepho sicut de Beata Virgine (quanquam non sub omni respectu) : nam, licet in *abstracto* idea Incarnationis et virgineæ maternitatis præscindat ab idea sponsi Matris Dei et patris Verbi Incarnati, in *concreto* tamen vix intelligitur quod Deus unico suo decreto de ineffabili Incarnationis mysterio, prout illud volebat exsequi, has tres personas non fuerit indissolubiliter complexus.

Re quidem vera, si, ut ex revelatione cognoscimus, Deus decrevit Incarnationem sic futuram esse ut Verbum infans nasceretur omni ope indigus, et aliunde, uti etiam scimus, si voluit nullo modo per se via miraculosa tot tantisque necessitatibus subvenire, necesse videtur, ut ejus sapientia et amor decreverint aliquem hominem, qui eidem Infanti Verbo in omnibus pater esset optimus. Neque connaturaliter sufficiebat ipsa mater, ut audivimus supra s. Thomam, eo magis quod nec ipsa sibi in multis sufficere poterat, indigebatque connaturaliter socio, protectore, sponso.

Præterea, « Hoc matrimonium ad hoc specialiter ordinatum est (a Deo), quod proles illa in eo susciperetur et educaretur » : si finis hujus matrimonii fuit Incarnatio exsequenda, non potuit Incarnatio, quæ decernebatur, in concreto decerni, quin simul matrimonium decerneretur. S. Thomas non loquitur de variis modis, quibus Incarnatio, *in fieri* et *facto esse*, potuerit decerni, sed de modo quo decreta est, atque de illa, prout erat in decreto divino, pronuntiat habuisse quamdam dependentiam moralem a matrimonio seu ministerio Mariæ simul ac Josephi. Nulla datur ratio, cur hæc dependentia fuerit tantum in ordine exsequutionis, sed contra dantur solidæ rationes, cur fuerit etiam in ordine intentionis, ac speciatim, quia Josephus tam perfecte fuit pater, quam potuit esse.

Nihilominus hæc quæstio necessaria non est ad excellentiam s. Josephi summam, summanque cum Deo affinitatem ; ideoque ne cum aliquo in controversiam venirem, neve aliquis, « ad contentionem informatus », hac quæstione subtili et implexa de decretis divinis abuteretur, dixi me *probabilissime* conclusionem proferre. Non est necessaria, nam excellentia Josephi et affinitas ejus ad Deum non oriuntur præcise ex ipsomet decreto quo existentia ejusdem decreta est, sed ex relationibus, quas certo scimus eum cum Verbo Incarnato habuisse.

THESIS DECIMA QUARTA

Præter ministerium Mariæ ac Josephi, nullum aliud ministerium in ordine unionis hypostaticæ reponitur intrinsece.

Declaratio. Ministeria, de quibus dubitari posset, recensentur : ministerium Angelorum, ministerium s. Joannis Baptistæ, ministerium Apostolorum : si nullum ex his reponitur intrinsece in ordine unionis hypostaticæ, *a fortiori* nullum ex reliquis.

Nihil dicimus de ss. Mulieribus, quæ Christum Dominum curis et obsequiis prosequutæ sunt : hoc non fuit ministerium a Deo institutum, sed pia tantum cura libere suscepta, quum jam Christus ipse sibi plane sufficiebat.

Demonstratio. 1° Argumento generali. — Hæc ministeria supponunt ordinem unionis hypostaticæ jam constitutum, tum *in fieri*, tum in *facto esse* ; ergo in hoc ordine non inveniuntur intrinsece.

Præterea hæc eadem ministeria potuerunt identice esse et exerceri, sive Verbum assumpserit naturam humanam e nihilo creatam et plane evolutam, sive assumpserit naturam ex matre genitam : ergo nullam relationem habent cum ipso facto esse.

2° *In specie. a*) *Angeli* Christo subservierunt, sed hoc non fuit nisi ministerium transitorium, a quo certe non pendebat Incarnatio, neque in fieri neque in facto esse.

De s. Gabriele moveri quæstio posset. Ast Beatus Archangelus

nihil revera Incarnationi contulit, nisi dicamus ipsos Prophetas qui voluntates Dei patefaciunt, concurrere intrinsece ad earumdem exsequutionem. Et sane, præterquam quod fuit transitorium, istud Archangeli ministerium nihil proportionis, nihil connaturale habuit cum mysterio complendo. Potuit Deus Angelum inferioris ordinis ad Mariam deputare, neque ideo Angelus ille fuisset statim elevatus supra omnes Angelorum choros. Non ex missione vel custodia, quam obeunt Angeli, dignitatem suam essentialem habent, sed ex ordine in quo reponuntur et ex gloria qua fruuntur : jam hæc gloria, hic ordo, non pendent ex eorum missionibus ad homines, quippe quæ ipsis constituta sunt divina voluntate et eorum ad gratiam cooperatione. Igitur Archangelo Gabrieli, electo in superiore hierarchia, accessit quidem ex missione ad Mariam magnus honos accidentalis et magnum accidentale gaudium, minime vero dignitas essentialis et suprema, quod nemo in Ecclesia dixerit. Secus dicendum etiam esset ipsi accessisse gratiam et gloriam essentialem.

Adde, Archangelus Gabriel certe fuit Dei *minister*, sed etiam minister fuit Mariæ, utpote quod res tota agebatur Deum inter et Mariam, licet per internuntium ; sed non potuit esse minister Mariæ in ordine ad conceptum filii, quin implicite aliquatenus esset minister Josephi, nam Maria erat Josephi, in ordine ad filium, præsertim ad filium ex matrimonio, quanquam virgineo, suscipiendum. Ergo etiamsi dignitas essentialis Archangelo ex missione accessisset, hæc dignitas maneret dignitati Josephi inferior : major enim est qui recumbit, quam qui ministrat.

Valeat hæc ratio quod valeat, certe maneret dignitas Archangeli inferior dignitati Josephi, ex eo quod ministerium Archangeli nunquam dici posset ministerium *paternum* ; proinde nunquam importaret tantam affinitatem cum Deo Incarnato, nec tam intimam relationem cum ordine unionis hypostaticæ.

Eadem ratione patet ministerium Archangeli Michaelis inferius omnino esse ministerio Josephi. Etenim, omisso quod hoc ministerium nullam relationem dicit cum facto Incarnationis, nihil profecto *paternitatis* præ se fert erga Verbum Incarnatum. Sed de eodem infra.

b) S. Joannes Baptista. Ministerium, S. Joannis Baptistæ re-

ponitur simpliciter in ordine gratiæ; ergo non pertinet intrinsece ad ordinem unionis hypostaticæ.

Antecedens. — *Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini præparare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum.* (Luc, I, 76). — *Ego vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* (Matt., III, 3.) — *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* (Joan., I, 17.) — *Hic est de quo scriptum : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te. Dico enim vobis : Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est.* (Luc, VII, 27.) — Et, *si vultis recipere, ipse est Elias.* (Matt., XI, 14.)

Non uno aut altero, sed multis locis, s. Joannis Baptistæ ministerium describitur ac diffinitur ; jamvero in omnibus, totum quantum est, perhibetur ordinatum ad bonum, ad salutem animarum per Jesum Christum. Nihil omnino ad Incarnationem vel in fieri vel in facto esse refertur, sed ipsam plane supponit. Ergo nullo modo pertinet intrinsece ad ordinem unionis hypostaticæ, sed tantum reponitur in ordine gratiæ. *Terminatur* quidem ad Christum, sed quod ipsum *determinat* est salus animarum per gratiam Christi. Ideoque, ut jam dictum est, potuisset idem consistere, si Christus naturam humanam plane evolutam assumpsisset.

Insuper Joannes Baptista nihil paternitatis erga Verbum Incarnatum potuit habere vel persentire ; sicut ipse non potuit Incarnatum Deum amare amore paterno, ita non potuit filiali amore redamari ; sicut non fuit affinis Mariæ titulo sponsi, ita non fuit per Mariam affinis Deo. Affinitas ejus ad Deum est extrinseca, consequens Incarnationem, in solo ordine gratiæ reposita.

c) Idem porro dic de *Apostolis.* — *Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria et usque ad ultimum terræ* (Act. Apost., I, 8.) — *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos...* » (Matt., XXVIII, 19.)

Ex his et aliis locis parallelis fit idem argumentum. Hoc ministerium, Scriptura apprime diffinitum, totum refertur ad sa-

lutem animarum ; supponit ordinem unionis hypostaticæ existentem : ergo nullatenus pertinet intrinsece ad hunc ordinem, sed ad ordinem duntaxat gratiæ.

Illa ministeria Apostolorum et Joannis Baptistæ dici possunt pertinere extrinsece ad ordinem unionis hypostaticæ, quatenus diriguntur ad Verbum Incarnatum prædicandum et glorificandum adque ejus opus continuandum et perficiendum. Sed ex solutione sequentis objectionis idem melius patebit.

Objicitur. Hæc ministeria non tantum bono animarum determinantur, sed a Christo Redemptore, ita ut, ex decretis divinis, non potuerit Christus redemptionem perfecte exsequi, nisi horum ministeriorum concursu. Sed ipsamet Incarnatio non est facta nisi ad Redemptionem : ergo, si non potuit Christus esse Redemptor sine his ministeriis, neque potuit sine iisdem simpliciter esse. Ergo ministeria illa pertinent intrinsece ad ordinem unionis hypostaticæ in fieri. Brevius : Christus non potuit esse simpliciter, quin esset Redemptor ; non potuit esse Redemptor sine his ministeriis ; ergo sine his ministeriis Christus non potuit simpliciter esse.

Respondeo. — Hanc objectionem exagitabat vir s. Josepho infensissimus ; sed revera, si ad trutinam revocetur, se prodit nullius ponderis. Igitur

1° *Retorquco* argumentum. *a*) Incarnatio non est facta nisi ad Redemptionem : ergo qui concurrit ad Incarnationem concurrit pariter ad Redemptionem. Sed Josephus cum Maria ad Incarnationem concurrerunt ut alius nemo ; ergo ut alius nemo concurrerunt ad Redemptionem.

b) Juxta adversarium (estque evidens) nec Joannes Baptista nec Apostoli quidquam concurrerunt ad Incarnationem, siquidem eorum ministerium supponit hoc primum factum ; ergo neque concurrerunt ad Redemptionem, quia, juxta eumdem adversarium Incarnatio et Redemptio per modum unius procedunt.

c) Est quid majus concurisse ad Incarnationem simul et Redemptionem, quam ad Redemptionem tantum, aut nonnisi indirecte ad Incarnationem, sed juxta adversarii principia, Josephus cum Maria concurrerunt simul ad Incarnationem et Re-

demptionem, dum alia ministeria, ad Redemptionem tantum.

Respondeo directe. Non hæc ministeria determinarunt Redemptionem, sed Redemptio hæc eadem determinavit ; non antecedenter ad Redemptionem, sed consequenter decreta et instituta sunt: ergo Redemptio non potuit ullo modo ab his pendere.

Christus utique venit formaliter ut Redemptor : *Vocabis eum Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* ; venit propter nos et propter nostram salutem. Unde scopus adventus Christi, seu Incarnationis, fuit salus animarum, i. e., *ordo gratiæ* constituendus ; sed ordo gratiæ nihil contulit ad ordinem unionis hypostaticæ decernendum vel efficiendum, secus effectus esset causa suæ causæ. Quod determinavit Redemptoris existentiam fuit voluntas Dei, cui sic placuit « sibi reconciliare mundum ». *Sic* utique *Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret* (JOAN., III, 16) ; sed non destitit ab amando Filio suo infinite magis quam mundum ; nec causa diligendi mundum Deo fuit bonitas mundi : sola bonitas Dei misericors causa fuit cur Filius Dei venerit salvare mundum. Igitur salus animarum *terminus* quidem fuit Redemptionis, seu effectus intentus liberrime et misericorditer a Deo ; sed nihil hæc salus influxit, ut Deus decerneret vel exsequeretur Redemptionem.

Jamvero, si Redemptoris existentia nullo modo pendet formaliter a salute animarum, neque pendet a ministeriis ad hanc salutem unice ordinatis. — Et hic habes aliam responsionem. Si Redemptor penderet ab his ministeriis, hæc ipsa ministeria penderent a salute animarum ; ergo totam suam dignitatem, non ex Christo Redemptore ducerent, sed ex salute duntaxat animarum ; nam non ordinantur ad Redemptorem propter se, sed tantum propter hanc salutem. Unde, etiamsi concederetur non potuisse Redemptorem existere sine his ministeriis, nihil iisdem dignitatis accederet, quia ratio ordinationis ad Redemptorem non esset ipse ordo unionis hypostaticæ, sed ordo tantum gratiæ.

Verum hoc minime concedi potest. Etenim hæc ministeria non sunt prius natura quam Redemptio, sed hanc necessario

supponunt absolutam et consequuntur. Sunt namque cooperatio quædam, non ad ipsam Redemptionem efficiendam, sed tantum ad ejus uberes fructus communicandos. Ergo non existentia Redemptoris pendebat ab his ministeriis, sed hæc ipsamet pendebant ab existentia Redemptoris.

Revera sufficit legere textus supra citatos, ut manifeste pateat, ministeria Joannis et Apostolorum supponere Redemptionis consummationem. Evidenter Apostoli non potuerunt communicare nisi gratiam Christi Redemptione acquisitam. Sed ipse Joannes non potuit efficaciter movere corda ad præparandas Unigenito Dei vias, nisi ejusdem gratiæ virtute : nam præsenti in ordine, a reparatione Adami, usque ad finem mundi, nullus dari potest actus salutaris, qui non fiat gratia Christi tota ex Redemptione derivata.

Christus Redemptor omnia tempora replet ; ideoque Pater Æternus omni tempore illi testimonium perhibuit, ut per illum salventur omnes animæ salvandæ. Per Prophetas testimonium perhibuit Redemptori futuro ; per Joannem Baptistam Redemptori præsenti ; per Apostolos Redemptori jam *ingresso semel in sancta, æterna redemptione inventa*: (*Hœbr.*, IX, 12).

Christus ipse Redemptor multis modis potuit merita sua, semper inexhausta, hominibus elargiri : placuit ei sibi adsciscere cooperatores a se Redemptore electos, primo quidem Apostolos, sed et alios plurimos (*Eph.*, IV, 11). —*Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis*... (JOAN., XV, 16) : ergo non ipse ab iis sed ü ab ipso pendebant.

Concludamus. Ministeria Apostolorum et Joannis Baptistæ nullatenus intrinsece pertinent ad ordinem unionis hypostaticæ : adeoque omnino dignitate cedunt ministerio s. Josephi. Sed prætat hanc comparationem accuratius cum Suarezio expendere.

THESIS DECIMA QUINTA

Expenditur Suarezii doctrina circa munus Josephi et Apostolorum.

Declaratio. 1° Eximius Doctor, occasione eorum, quæ de Beatissima Virgine disserebat, aliquid per transennam de Beato Josepho ejus sponso addidit, non ea tamen forma, amplitudine, copia argumentorum, quam, in omnibus fere quæstionibus a se ex professo tractatis, solet adhibere. Unde statim apparet posse quidem illa, quæ de s. Josepho disserit, accipi, sed non ita ut in illis inveniatur plena et accurata de s. Josepho theologia.

2° Tempore Suarezii, cultus liturgicus s. Josephi erat in cunabulis, etsi plures oratores vel scriptores, magis audacia plus minus pia abrepti, quam scientia theologica ducti, sententias aperte falsas vel temerarias, in honorem s. Josephi indebitum, effutirent. Istos excessus voluit Suarezius vitare, vel etiam cohibere: aliunde, ad laudandum s. Josephum, uti par erat, nihil cultu liturgico vel pontificiis documentis juvabatur : atque ideo censuit summa cautela esse sibi procedendum. Sed eo magis quod s. Joannes Baptista et Apostoli primas in Liturgia sedes antiqua possessione occupabant et magna in orbe toto catholico pompa celebrabantur. Quapropter sola tentatio comparandi, vel sub aliquo respectu, Josephum cum his principibus summis temeraria non potuit multis non videri.

3° Nemo nescit Suarezium non minore modestia ornatum fuisse quam scientia : quum igitur Ecclesia et Pontifices ac fere theologi tacerent super hac re, aut etiam quadantenus adversari viderentur, noluit ipse firmiore judicio contradicere et suam quasi infallibilem sententiam imponere.

4° Has annotationes nisi Lector præ oculis habuerit, dissertationem Suarezii vix intelliget, vel etiam, ejus occasione, in errorem ibit. Innumeri sunt qui locum, mox citandum, in scriptis referunt : alii, ut s. Josephum extollant, alii ut s. Jose-

pho detrahant. Isti magnam vim faciunt in verbis aliquatenus restrictivis, quibus doctor eximius utitur ; illi hæc eadem verba quasi cæce et materialiter recitant, nulla addita disquisitione vel explicatione. Unde fit ut laudes quas Suarezius s. Josepho defert, nedum in honorem, in illius magis cedant detrimentum.

5° Cur Suarezius verba quædam restrictiva usurpaverit, jam diximus ; quinam vero sit horum verborum sensus, quænam vis, quis defectus, in præsenti thesi dicemus.

6° Duplici sectione rem totam absolvit : in priore, de dignitate sancti Josephi tractat ; in posteriore, de sanctitate. Hanc infra discutiemus, de dignitate nunc tantum agimus. Itaque in fine sectionis primæ sic habet.

« *Comparatio inter munus Joseph et Apostolorum.* In hac comparatione, quam a nemine video satis esse discussam ac declaratam, nihil temere affirmare volo. Probabiliter tamen dici posset hæc munera esse quodammodo diversorum ordinum, et ideo non posse tam proprie comparari : habere tamen se mutuo sicut excedens et excessum. Sentio equidem Apostolorum munus esse supremum omnium eorum quæ in Ecclesia Christi, prout ab eo in lege gratiæ instituta sunt, inveniuntur... Nihilominus tamen non existimo improbabile, munus seu ministerium sancti Joseph, quatenus quodammodo est altioris ordinis, posse dici perfectius. Intelligo enim quædam esse ministeria, præcise pertinentia ad ordinem gratiæ gratum facientis, et in hoc ordine intelligo Apostolos habuisse supremum dignitatis fastigium, et indiguisse fortasse pluribus gratiæ, præsertim gratis datæ et sapientiæ, donis, quam reliquos. Alia vero sunt ministeria quæ attingunt ordinem unionis hypostaticæ, qui in suo genere perfectior est, ut de dignitate Matris Dei supra diximus ; et in hoc ordine intelligo institutum esse ministerium s. Joseph et esse velut in infimo gradu illius ; et ex hac parte excedere reliqua, tanquam in superiore ordine existens. Unde s. Thomas supra attente dixit, Apostolos esse majores officio Novi Testamenti : officium autem Joseph non pertinet ad Novum Testamentum neque, proprie ad Vetus, sed ad utriusque Auctorem et *lapidem angularem, qui fecit utraque unum.* »

7° Hæc minus accurate dicta et parum inter se cohærentia videntur. Ut vitet temeritatem, Suarezius forte in timiditatem incidit, ne dicam errorem. Neque nos volumus quidquam temere affirmare ; sed tamen plenam volumus, quoad fieri potest, assequi veritatem. — Imprimis prae oculis habeatur *status quæstionis* : comparatio fit inter *ministerium* duntaxat et *ministerium*, præscindendo omnino a sanctitate ; quod forte non satis attendit Suarezius. Sed insuper conceptus, quem de ministerio s. Josephi sibi efformavit, videtur fuisse imperfectus.

8° Unde duæ sunt partes in thesi ; in prima discutiemus ipsammet comparationem ; in altera expendemus conceptum ipsum, quem Suarezius, in sectione sua prima, de ministerio s. Josephi præstituit.

Demonstratio. **1 Pars.** Alteram annotationem præmitto. — Ratio argumentandi fundamentalis Suarezio fuit, quod « hæc ministeria non possunt tam proprie comparari ». Post illam declarationem, vix intelligitur quomodo ipse comparationem instituat : inter disparata enim non fit serio et vere comparatio. Postea addit, « ministerium sancti Joseph esse quodammodo altioris ordinis » ; et infra affirmat, « illud ministerium attingere ordinem unionis hypostaticæ » : « *Non existimo improbabile*, ministerium sancti Joseph posse dici perfectius » ; « *intelligo* ministerium sancti Joseph institutum esse in ordine unionis hypostaticæ ».

Hæc inter se non satis cohærent ; ratio autem hujus trepidationis fuit principium a Suarazio assumptum, scilicet « non posse dicta ministeria proprie comparari ».

« Habent Apostoli, ait Marchesi (p. 113), suam dignitatem, eamque excelsam, eamque sublimissimam, eamque in suo genere quodammodo infinitam atque divinam. Ipsi namque, utpote *Christi ministri*, utpote *dispensatores mysteriorum Dei ipsiusque adjutores*, ad talem ac tantam evecti celsitudinem fuere, ut, hoc sub respectu, major fortassis neque dari neque concipi possibile sit... Si vero munus Josephi cum aliorum muneribus conferatur, licet Præcursoris et Apostolorum officium, in se spectatum, nobilissimum sit et in suo genere summum, inficiari tamen nemo poterit officium s. Josephi longe altius supra mo-

dum eminere. Ratio potissima hæc est, quia, ut bene notavit eximius Suarez et eminentissimus Gotti (quorum verba recitavit), munus s. Josephi *attigit ordinem unionis hypostaticæ* ».

Verum ipse Marchesi, nimium forte Suarezii auctoritate permotus, paullo supra dixerat: « Ac primo quidem, quoniam Josephus et cæteri, de quibus hic sermo est, non in eodem sed in diverso ordine præstant, nulla stricte et proprie loquendo inter ipsos subjectiva comparatio potest institui ; eo vel magis cum omnes, in suo quisque genere, altissimum teneant locum ».

Iterum dico, hic mihi videtur error, sed quam communis et vel optimorum menti insidens, manifestum est. Ideoque nemo miretur, si aliquantisper immoror, ut quod mihi verum est aperiam. Dico igitur hæc ministeria, sub ratione dignitatis (de qua unice quæstio est), posse simpliciter comparari ; ministerium vero Josephi præstare ministerio Apostolorum et Joannis Baptistæ duplici titulo, tum quatenus invenitur in ordine unionis hypostaticæ, tum etiam quatenus et ipsum invenitur in ordine gratiæ.

A) Possunt simpliciter comparari.

Ministerium quodlibet (præcisive a gratia) non est nisi quædam cum Deo, prima causa, cooperatio. Deus autem unus et idem operatur in ordine naturæ, in ordine gratiæ, in ordine unionis hypostaticæ. Unde dicere quod non possunt comparari ministeria, quæ in hoc triplici ordine exercentur, est dicere quod non possit institui comparatio inter operationem divinam in hoc eodem triplici ordine. Istud vero falsum est. Nam possum omnino comparare et subordinare, amorem, potentiam, providentiam (terminative)... quæ Deus manifestat in his singulis ordinibus, possum affirmare Deum plus amoris, potentiæ, providentiæ .. manifestare in ordine gratiæ quam in ordine naturæ, plus in ordine unionis hypostaticæ, quam in ordine gratiæ. Ergo æquo jure possum affirmare simpliciter ministeria respondentia, plus minus esse perfecta seu honorifica, prout cooperantur Deo, in ordine naturæ, vel in ordine gratiæ, vel in ordine unionis hypostaticæ.

Quin etiam Deus amorem eo majorem homini manifestat (et quæ consequuntur tribuit), quo magis eum facit suæ propriæ

operationis participem, ut fusius infra demonstrabitur, ex s.Thoma (I. q. 20. a 3 ad 1.); ideoque magis manifestavit amoris erga Apostolos quam erga ullam creaturam in ordine naturali.

Heic citabo tantum quæ habet s. Doctor in corp, articuli: « Deum diligere magis aliquid nihil aliud est quam ei majus bonum velle; voluntas enim Dei est causa bonitatis in rebus... Unde sequitur quod meliora plus amet ». Tota igitur quæstio est: an Deus majus bonum velit necne ministro gratiæ quam ministro ordinis naturæ, majus bonum ministro unionis hypostaticæ quam ministro gratiæ. Supponamus (hic est status quæstionis) supponamus nec Josephum, nec Apostolos ullam gratiam sanctificantem habuisse (sed neque ullum peccatum), quæro : concedendo Apostolis potestatem communicandi gratiam, voluitne ipsis majus bonum quam concedendo alicui homini facultatem concurrendi ad Incarnationem tum in fieri tum in facto esse ? Faciendo Apostolos distributores et quasi dominos gratiæ, voluitne ipsis majus bonum quam faciendo hominem patrem et quasi dominum Unigeniti Filii Dei ?

Ergo, nedum comparari simpliciter, sed, ex principiis theologicis, absolute præferri potest ministerium unionis hypostaticæ ministerio gratiæ, sicut simpliciter comparari et absolute præferri potest ministerium Apostolorum omni ministerio ordinis naturæ.

Et profecto, si principium assumptum a Suarezio esset verum, non possemus comparare, multo minus anteferre, ministerium Beatissimæ Deiparæ cum ministerio Apostolorum, sed dicendum esset : habere se mutuo ut excedens et excessum ; atque ideo dignitatem Matris Dei non simpliciter superare dignitatem Apostolorum, sed ei esse aliquatenus inferiorem. Huic conclusioni certe non subscriberet Suarezius.

Igitur respondeo in *forma*: Hæc MINISTERIA sunt diversorum ordinum, *materialiter*, seu inspecto termino, mutuo se habent ut excedens et excessum, *materialiter*, non possunt comparari, *materialiter* : *Concedo ; formaliter*, i. e. prout sunt cooperatio, seu veluti instrumentum causæ primæ : *Nego*. — Eo enim quod sunt ministeria, debent necessario subordinari primo agenti : et quidem longe magis in ordine gratiæ et unionis hypostaticæ,

quam in ordine naturæ, non modo quia, in hoc utroque ordine effectus est longe perfectior, sed etiam quia creatura quælibet est magis impar ad producendum per se vel minimam partem effectus.

Amicus Suarez, amicissimus; heic tamen, fateor, videtur minus accurate locutus. Sed forte causa erroris fuit, quod huic quæstioni aptavit principium, alteri prorsus absimili aptandum. Dum quærit an præstet dignitas Matris Dei (præcisive accepta) dignitati filii Dei (per gratiam), respondet: hæc non posse inter se proprie comparari; si quis tamen velit has dignitates (præcisive) comparare, dignitatem filii adoptivi excellentiorem esse quam ipsam Dei maternitatem. Ratio est evidens; maternitas Dei, per se solam, præcisive a gratia, nullam importat perfectionem intrinsecam animae inhærentem; gratia vero importat naturam divinam participatam animæ inhærentem, atque ideo summe perficientem.

Quæstio ista toto cœlo differt a quæstione de ministerio, ut cuique patet. Nullatenus enim per se ac proprie comparari possunt disparata, uti sunt dignitas orta ex titulo Matris Dei, et dignitas orta ex *perfectione divina intrinsece possessa*. Dum autem comparamus varia ministeria inter se, non comparationem hujusmodi instituimus, sed comparamus *titulos* cum *titulis*; jamvero tituli et tituli sunt in eodem genere formaliter, licet utique materialiter in diversa specie possint inveniri.

Quod addit Suarez de gratiæ donis, consequenter ad ministerium concessis, nihil pertinet ad quæstionem, multo minus gratiæ gratis datæ, quæ per se nullo modo perficiunt habentem: agimus enim tantum de ministerio nude accepto. Et certe, si consequenter ad eorum ministerium (ordinis gratiæ) debebantur Apostolis gratiæ gratum facientes eximiæ, quomodo non deberentur adhuc excellentiores ministerio ordinis superioris, quod non animas (directe), sed ipsissimum Deum contingit immediate? (Cæterum hoc tuetur Suarez, ut infra dicemus.)

B) Igitur ministerium s. Josephi comparari simpliciter potest, sub ratione formali *ministerii* cum ministerio Apostolorum (ac ipsius s. Joannis Baptistæ). Sed, hoc posito, debet etiam anteponi, sicut modo, per transennam, ostendimus ex s. Thoma. Hoc

ipsum tuetur Suarez, quanquam prius dixerit non posse hæc ministeria comparari. Et sane, si ministeria *dignificantur*, prout digniori seu excellentiori Dei operationi subserviunt, illud ministerium, quod, etiam infimo gradu, Deo subservit in operatione omnium, vel possibilium, maxima, necessario dignitate maximum erit.

C) Sed, ulterius progrediendo, idem s. Josephi ministerium etiam in ordine gratiæ locum habet ac primam sedem occupat, quanquam eminentiore quadam ratione. Ergo, etiam in hoc ordine comparari proprie potest cum ministerio Apostolorum et anteponi.

De Joseph canit Ecclesia : « Te Sator rerum statuit pudicæ — Virginis Sponsum, voluitque Verbi — Te patrem dici ; dedit et *ministrum* — Esse salutis. » (ad Matut.)

Et in officio ss. Familiæ : « De stirpe Jesse nobili — *Nati in salutem gentium*, — audite nos qui supplices — Vestras ad aras sistimus. » (ad Matut.)

Hisce locis aperte prædicat Ecclesia ministerium Josephi reponi etiam in ordine gratiæ. Qua autem de re ? Nimirum ob concursum quem ipse præbuit Incarnationi.

Revera, fateor, Ecclesia non attendit hucusque (explicite) nisi ad concursum quem Josephus præbuit ad Incarnationem *in facto esse*, ad id quod Thomas vocat « educationem Prolis », et Bernardinus : conservationem et augmentum ejus qui cœlestem vitam tribuit ; et Bernardus : conservationem toti mundo panis vivi e cœlo descendentis. — Verum, non curis tantum paternis, Josephus servavit toti mundo Illum, qui est panis vivus, cœlestem vitam tribuens ; quin etiam concurrit ad Ejusdem existentiam, haud equidem tangendo, vel halitu, inaratam terram, sed illam ipse suam faciendo, eo fine ut, juxta « ordinationem specialem », sub solis divini tantum radiis, fructificaret panem Angelorum.

Scilicet ministerium s. Josephi respiciebat Incarnationem, tum in fieri tum in facto esse. Porro Incarnatio unum quid efficit cum Redemptione, ad quam unice ordinabatur, sicut radix unum quid efficit cum fructu frumenti et vini. Ergo ministerium illud se protendit ad Redemptionem et ad omnes fructus inde derivandos. Non ad rivulos tantum vel fluvios dirigendos

et communicandos ordinabatur, sed aliquatenus ad fontem ipsum, usque inexhaustum, constituendum.

Itaque, si velimus pressius loqui, ministerium Apostolorum et ipsius Joannis Baptistæ respicit tantum homines *post Christum natos* ; ministerium Josephi respicit omnes omnino homines, sicut omnes omnino homines respicit Incarnatio. Sensus Ecclesiæ alius esse non potest, dum canit « Deum dedisse Josephum ministrum esse salutis ». Nam certe, nec prædicatione, nec alia quapiam apostolica actione Josephus fuit minister salutis, sed sola ad Incarnationis mysterium subministratione. Ergo vel non fuit minister salutis, vel ejus ministerium ad omnes, sicut ipsamet Incarnatio, extendit sese.

Audiatur Lambertinius (Bened. XIV), qui cæteroquin, ut infra dicetur, eminus tantum dignitatem et ministerium s. Josephi adspexit. — « Patriarcham dici posse sanctum Joseph ex eo probatur, quod Patriarcha, juxta sanctos Patres et antiquos recentesque scriptores, fuerunt illi, qui totidem familiarum protoparentes exstiterunt, quibus populus Dei constabat. Quum igitur s. Josephus fuerit pater putativus Christi Domini Nostri, qui prædestinatorum et electorum caput est, hac de causa nomen Patriarchæ jure ac merito sancto Josepho attribuitur, et hoc eodem nomine ipse appellatur a plerisque scriptoribus. Nec obstat assertio Guyetis, dicentis sancto Josepho titulum Patriarchæ non deberi ; loquitur enim nulla allata auctoritate. Quumque unicum fundamentum, cui inniti potest, constitutum sit in hoc quod s. Josephus non fuerit pater naturalis Christi Domini, nec eum generavit, id solum probare potest eum non fuisse patrem fidelium generatione naturali, uti cæteri Patriarchæ fuerunt, sed non impedit quin fuerit Patriarcha perfectiori et altiori modo' juxta ea quæ dicta sunt. » (Diss. de s. Joseph.)

Unde, si juxta perillustrem Benedictum XIV, Josephus, solo titulo « patris putativi Christi Domini », fuit « pater omnium prædestinatorum et electorum, quorum Caput est Christus », quisque potest, ex iis quæ supra, de paternitate Josephi, disseruimus, capere qua *perfectiori et altiori ratione*, in ordine gratiæ sedem obtineat.

Scio equidem sanctum Virum non concurrisse ad Redemptio-

nem, ut concurrit Beatissima Virgo; sed hoc non tollit quin concurrerit ad Redemptoris, qua talis, existentiam et conservationem, et quidem formaliter in ordine ad Redemptionem, ut innuunt Bernardus ac Bernardinus et ipsamet Ecclesia. Supponamus Beatissimam Virginem e vivis cessisse paullo post Christi nativitatem, ideoque ad Redemptionis opus in ara Crucis nihil concurrisse : ministerium ejus maneret simpliciter excellentius, non modo in ordine unionis hypostaticæ, sed etiam in ordine gratiæ. Ita porro de s. Josepho, debita proportione servata.

Minime dico Josephum fuisse *formaliter* Apostolum ; dico ministerium ejus in ordine gratiæ locum habere, aut, si malis, fuisse *eminentiore* quadam ratione apostolum, quatenus Apostoli fuerunt, protoparentes christianorum. Juxta Benedictum XIV, Josephus, prout fuit pater Christi, fuit etiam Apostolorum pater quia fuit « pater omnium fidelium, quorum caput est Christus ».

Cæterum — et hoc est valde notandum, ac, in quæstione de cultu *Protoduliæ*, præ oculis habendum, — s. Rituum Congregatio, anno 1743, Pontifice sedente eodem Benedicto XIV, agnovit explicite præstantiam s. Josephi supra Apostolos.

« In una Senensi proposita fuere sequentia dubia : « 1° An de Patrocinio s. Josephi, quod Senis et pluribus in locis celebratur Dominica tertia post Pascha, sub ritu duplici secundæ classis, possit recitari officium, quando in dicta Dominica occurrunt festa d. Marci Evangelistæ aut ss. Philippi et Jacobi ?

» 2° An Patrocinio s. Josephi concurrente cum dictis festis, sint de eo integræ recitandæ vesperæ vel dimidiandæ ?

»... Sacra eadem Congregatio, audito prius voto unius ex apostolicarum cæremoniarum magistris, rescribendum censuit :

« Ad 1^m. *Attenta dignitate Personæ*, licet æqualitas sit ritus inter festa s. Marci et ss. Apostolorum Philippi et Jacobi, officium de Patrocinio s. Josephi est recitandum, si cum prædictis solemnitatibus occurrat.

» Ad 2^m. Non sunt dimidiandæ, sed integræ persolvendæ vesperæ de Patrocinio, si cum prædictis solemnitatibus occurat ».

Igitur sacra ipsamet Congregatio solvit jamdudum quæstionem, et quidem ea tempestate, qua s Josephi cultus nondum

erat sicut hodie propagatus, nec *liturgice* ad summam solemnitatem evectus ; immo tum quum regnaret Benedictus XIV, qui, dum esset Promotor fidei, non nihil amplificationi cultus s. Josephi obstiterat, utpote non ita ejusdem excellentiam assecutus.

Verum quidem est hoc decretum fuisse revocatum anno 1781, sed ob solam rationem quod festum Patrocinii erat festum *secundarium*, primaria vero, festa prædictorum : minime autem revocata est ratio allata : « *Attenta dignitate Personæ* ». Ergo præcedentia s. Josephi in Liturgia ante Apostolos, de mente s. Congregationis, ducenda non est ex præcedentia vitæ, obitus vel ministerii, sed ex præcedentia seu excellentia Personæ ac ejusdem dignitatis. Jampridem s. Rituum Congregatio fundamenta jecit ipsa cultus *Protoduliæ*. Quid porro nunc dicendum, quum declaratus sit Josephus Ecclesiæ catholicæ Patronus, quum Pontifex Leo XIII, expressis terminis, docuerit plebem christianam : « s. Josephum dignitate unum eminere inter omnes et dignatati Matris Dei accessisse ut magis nemo » !

Sed redeamus ad Suarezium.

2° Pars. *Conceptus, quem Suarezius de ministerio s. Josephi præstituit.*

Prænoto. Si eximium Doctorem legeris, videbis ipsum considerare Josephum, ceu custodem, curatorem, commensalem, socium Christi Domini. Et, quamvis asserat Sponsum Virginis « non solum patris Christi nomen, sed etiam rem, quæ huic nomini subest, participasse quantum, excepta carnali generatione, ab homine participari potest », tamen minus accurate ipse *rem* sub nomine patris latentem videtur intellexisse. Enimvero duplici ratione explicat paternitatem s. Josephi : 1° Pater Æternus Josepho cum nomine patris simul officium et curam paternam magna ex parte tribuit ; 2° « quia Beata Virgo vera fuit mater Christi, non potuit Joseph, verus ejus sponsus, rationem parentis non participare, carnali semper generatione excepta ». — Aliis verbis Josephus Christi pater fuit, *curis paternis* et *jure conjugii*, ideoque tota ratio cur ministerium Josephi reponatur in ordine unionis hypostaticæ, vel quod « hunc ordinem attingat », in eo tandem sistit, quod Christus filius

ejus fuerit per Mariam Virginem et quod ab eo receperit quæcumque ad cultum vitæ pertinent.

Hic conceptus Suarezianus de paternitate Josephi falsus non est, sed incompletus, ita quidem ut potior paternitatis ratio penitus omittatur. Immo, etiam uti est incompletus, aliud omnino et longe majus importat quam quod Suarez intellexit. Hæc duo in hac *secunda parte* propono ostendere.

1° Est *incompletus*. Nam, non curis tantum et officiis paternis — ac præcipue paterno amore — neque tantum jure conjugii, Josephus pater Christi exstitit, sed etiam quatenus Spiritus sanctus ejus ministerium ordinavit ad ipsammet Verbi Incarnati procreationem. Ego a Suarezio quærerem : numquid non potuit « paternitatis *res* » participari ab homine, ita ut existentia Verbi Incarnati, tum in fieri, tum in facto esse, ab ipso penderet, eo modo quo supra expositum est, sola carnali generatione excepta ? Profecto.

Quod autem ita factum sit, tum ex s. Thoma, tum ex Patribus, supra probatum est ac speciatim ex ea ratione theologica, quod homo cui Deus imponebat omnia onera paternitatis eaque durissima, non potuit a Deo non recipere totam paternitatis rem cujus erat capax. Ergo, si, docente Suarezio, Josephus participavit paternitatem Patris Æterni, quantum ab homine participari potuit, sola salva virginitate, dicendus est pater longe magis quam curis et officiis, magis quam jure conjugii, sed virtute ipsius matrimonii, cujus, ex speciali ordinatione divina, ratio finalis fuit, ut Filius Dei Filius hominis nasceretur. Jamvero sub hac ratione, evidenter ministerium s. Josephi reponitur in ordine unionis hypostaticæ longe altius et perfectius quam sentiebat Suarezius, siquidem hic ordo, tum in fieri, tum in facto esse, factus est ex parte dependens a ministerio Josephi.

2° Præterea, hoc conceptu incompleto, quem habuit Suarezius de paternitate s. Josephi, minus accurate usus est, ut ministerium ejus in ordine unionis hypostaticæ reponeret. Etenim loquitur de ministerio Josephi, uti est ministerium *terminatum* duntaxat ad Verbum Incarnatum ; scilicet, quum attingat divinam Personam propius, diuturnius, intimius.., inde est quod in ordine unionis hypostaticæ reponendum sit. Sicut

deicidium fuit criminum omnium maximum, quia divinam Personam attingebat immediate, ita ministerium Josephi maximum fuit, quia divinam Personam immediate contingebat.

Sed revera hic modus reponendi aliquod ministerium in ordine unionis hypostaticæ non est accuratus : ministerium enim quodvis non specificatur *ex termino materiali, sed ex objecto formali*, propter quod institutum est. Comparatio, ex deicidio ducta, locum quidem habere potest in ratione meriti vel demeriti (in ordine moris), minime vero in ratione ministerii. Ideoque, ut reponatur ministerium Josephi in ordine unionis hypostaticæ, non sufficit quod fuerit terminatum ad Verbum Incarnatum, sed necesse omnino est, quod fuerit eodem ordine *determinatum*, sin minus *in fieri*, at saltem *in facto esse*. Jamvero ostendimus ministerium s. Josephi fuisse determinatum ordine unionis hypostaticæ, tum in fieri, tum in facto esse.

Unde, licet Suarezius, expressis verbis, affirmet ministerium s. Josephi, præ ministerio quolibet alio, in ordine hypostaticæ unionis reponi : « Et in hoc ordine intelligo fuisse ministerium Joseph », hujus tamen hujus assertionis minus firmum præbet fundamentum et veritatem seu consequentiam non satis perpendit.

Hæc autem dicta sint, non ut quidquam de auctoritate eximii doctoris, cæterum inconcussa, detraham, sed ut ii qui locum illum Suarezii, vel contra s. Josephum, vel in ejus favorem, recitaverint, aptius et verius ratiocinentur.

THESIS DECIMA SEXTA

Ex titulo Sponsi Dei Genitricis accessit s. Josepho dignitas summa et summa cum Deo affinitas : ex quibus sponte fluit cultus ei tribuendus duliæ summus.

Declaratio : 1° Post ea quæ de matrimonio Josephi cum Maria diximus, hæc thesis demonstratione vix indigere videtur. Quædam tamen possunt meliore in luce reponi.

2° Hujus veritatis fidem faciunt verba non satis laudata Leonis XIII. — « Josephus vir fuit Mariæ et pater, ut putabatur, Jesu Christi. *Hinc omnis ejus dignitas, gratia, sanctitas, gloria, profectæ.* Certe Matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri majus queat, Sed tamen, *quia intercessit Josepho cum Virgine beatissima maritale vinculum*, ad illam præstantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, *non est dubium*, quin accesserit ipse ut nemo magis. Est enim conjugium societas necessitudoque omnium maxima, quæ natura sua adjunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca, si Sponsum Virgini Deus Josephum dedit, dedit profecto, non modo vitæ socium, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsæ dignitatis ejus, ipso conjugali fœdere, participem. » (*Quanquam pluries.*)

3° Fatendum est plures *modernos*, qui nihil aut pene nihil de dignitate s. Josephi proprio studio attigerunt, habere Sponsum Virginis ut « ejus vitæ socium, virginitatis testem, tutorem honestatis » ; nec aliud quidquam. Juxta illos, Josephus vir fuit præ omnibus sponsis beatus, cui contigit sponsam sortiri optimam ; ideoque non potuit ei non accedere aliqua dignitas, ex tam sublimi consortio tamque continuata necessitudine, sed neutiquam summa. Hos ego ad Leonem remitto.

4° Summus Pontifex supponit verum intercessisse matrimonium Josepho cum Maria (quod de fide est, si sensum Scripturæ accipias et sensum catholicum communem) ; supponit ipsum Deum Virgini Josephum elegisse et dedisse sponsum. Sunt enim veritates illæ ita in Ecclesia receptæ, ut eas probare minime judicaverit.

Revera Ecclesia orat : *Deus qui ineffabili Providentia beatum Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ sponsum eligere dignatus es...* » (Fest. Patroc.)

Et Pius IX. « Inclytum Patriarcham Joseph, quem Deus omnipotens, præ omnibus sanctis suis, purissimum verumque sponsum esse voluit in terris Immaculatæ Virginis Mariæ... » (Brev. 7. Jul 1871.)

Sed enim ipsa res postulabat divinum interventum. *a)* Omnia regebat in Maria divina Providentia, amore summo, summa

sapientia ; proinde specialissime ordinavit ejus matrimonium — « quod ad statum totum vitæ pertinebat » (Suar), — tum ut Virgo matrimonium iniret, tum ut hunc talem sponsum acciperet. *b*) Ipsa Maria non poterat sibi deligere sponsum, quia non poterat homini auctoritatem cæteraque jura et officia patris in Filium Dei communicare. Objective loquendo solus Deus Pater potuit homini communicare proprium suum nomen, auctoritatem et providentiam omnem in Filium suum Unigenitum. Inter omnes electiones, quas legimus Deum de hominibus aliquando fecisse, nulla fuit, quæ, ex natura rerum, magis divinum exposceret interventum.

Hæc divina Josephi electio, primis sæculis, adeo insidebat mentibus, ut etiam miraculo manifestam apocrypha comprobarent.

5° Tres partes in thesi, quæ videntur theologice certæ.

Demonstratio. 1° **Pars.** *Ex titulo Sponsi summa dignitas.*

I. Ex verbis modo recitatis Leonis XIII. *a*) « Deus dedit Josephum dignitatis Matris Dei participem ». Participare dignitatem summam est sane dignitatem summam sortiri, secus tantumdem esset participare quamlibet aliam inferiorem. Profecto de nemine fuit unquam dictum quod participaret dignitatem Dei Genitricis. — *b*) Accedere, ut alius nemo, ad dignitatem quæ longissime dignitati cujusvis creaturæ antecellit, est consequi dignitatem omnium excellentem. Tali dignitati « non est dubium quin accesserit Josephus, ut nemo magis ». — *c*) Ratio, cur dicitur Josephus accessisse ut nemo magis, in eo solo reponitur quod fuerit Deiparæ sponsus : ergo tunc tantum aliqua creatura dignitate Josephum æquabit, quum sponsi Deiparæ titulo decorabitur.

II. Ratione theologica. 1° Ex natura conjugii in genere. « Est enim conjugium societas necessitudoque omnium maxima, quæ natura sua adjunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. » Conjugium ita semper viguit ac viget, ut *per se* ex duplici conjuge unicam efficiat personam moralem. Scilicet dignitas unius ita in alterum redundat, ut sponsi ac sponsæ unica dignitas sicut una persona efflorescat. Quod si aliquando aliter fiat, hoc per accidens contingit, ob civiles vel politicas ra-

tiones, aut etiam ob alterutrius conjugis indignitatem, quod utique matrimonii perfectio per se non pateretur (Suar. s. 1, n. 4). Et recte quidem ; præter enim quam quod conjux conjugem habet, sic disponente Deo, ut animæ dimidium suæ, proindeque bona sua quasi dimidiate possidet cum ipso, dedecus sane foret, si dignitate præcelleret alter, altero, cum quo intimas debet instituere relationes, manente vili aut etiam inferiore loco. Imprimis conjuges debent esse in anima una : ideoque relinquet homo omnia potius quam uxori suæ non adhæreat (*Gen.*, II, 25). Hoc sensu conjugium magnum sacramentum est in Christo et Ecclesia (*Eph.*, V, 32).

Igitur, si matrimonium Josephi cum Virgine fuit omni *connaturali* perfectione donatum, et aliunde dignitas Virginis fuerit summa, non potuit dignitas summa non resultare Josepho.

Dices : Hæc quidem communicatio dignitatis conjugis unius cum altero locum habere potest in eodem ordine, scilicet naturali, non in ordine diverso : conjugium Mariæ et Josephi in ordine est naturali, dignitas autem Mariæ in ordine supernaturali ; ergo communicatio locum non habet.

Respondeo. 1° Impossibile videtur matrimonium Mariæ sub uno tantum respectu, et quidem infimo, fuisse perfectum. — 2° Ex objectione sequeretur *nullam*, saltem quod sciamus, resultasse Josepho, ex conjugio suo cum Deipara, dignitatem supernaturalem ; quod aperte contradicit sensui Ecclesiæ et omnium omnino scriptorum catholicorum. Unde, vel nulla resultavit ex conjugio dignitas supernaturalis Josepho, quod est evidenter falsum, vel, si resultavit, debuit hæc esse tanta quanta exposcebat natura matrimonii, siquidem tota ratio participationis ex matrimonio ducitur. Limitem fingere est prorsus arbitrarium, quia hæc ratio participationis dignitatis supernaturalis, semel admissa, excludit per se omnem limitem : « ut nemo magis ». Sed hæc responsio melius adhuc ex mox dicendis firmabitur.

2° Speciatim ex Providentia, quam habuit Deus erga Mariam. Tota ss. Trinitas donis Mariam cumulavit ; atqui si sponsum ei elegisset inferioris, aut etiam inæqualis conditionis (supernaturalis), eam privasset dono connaturali maximo.

3° Josepho debebatur connaturaliter (ex congruo), ut participaret totam, quantum homini fieri potuit, dignitatem Matris Dei : nam participavit, quantum fieri potuit, omnia onera, per maternitatem Dei, sponso matris Dei imposita.

4° Josephus, ceu sponsus, non onera tantum maternitatis divinæ, sed ipsammet divinam maternitatem participavit, « quantum, excepta carnali generatione, homo potuit participare ». Ergo debuit etiam dignitatem ejus — utique supernaturalem — participare, quantum fuit participabilis. Josephus enim factus est divinitus Mariæ sponsus, *quatenus* Maria erat Mater Dei, *ut* fieret Maria Mater Dei : nam Mariæ matrimonio junctus est, « ad hoc specialiter quod Proles divina susciperetur in ea et educaretur ». (Cf. supr. p. 101 et ss.).

At vero, si quis altius dignitatem hanc contemplari velit, attendat, quæso, non jam ad communitatem dignitatis, quæ inter sponsos per se legitime intercedit, sed ad jura quæ Beato Josepho, utique soli, erga præcelsissimam Matrem concessa sunt. Etenim, in hoc reparatæ salutis ordine, omnes christiani, sancti omnes omnesque Angeli,ad Dei Genitricem referuntur ut servi, aut adoptione filii. At Josephus æqualis, aut etiam superior, in hoc eodem ordine, eidem præclarissimæ Virgini consecratur ; quod ipsamet humillima profitetur : *Ecce pater tuus et ego. Caput mulieris vir.* Lex fuit generalis a Deo conjugatis lata. Unde, Beatissima virgo debebat sponso, ex ordinatione divina et ex jure naturæ, reverentiam, honorem atque obedientiam ; ipsum debebat, præ omnibus, amore tenerrimo, amore scilicet conjugali, quo major non datur, complecti...

Sed quid si factum jam non spectes nudum, propius vero contempleris relationes, quas ad invicem habuerunt continuas, diuturnas et intimas sanctissimi conjuges ? Beatissima Virgo, in itineribus bene multis, domi et in templo, per medios labores perque media gaudia, Josephum solum habuit socium et animæ participem suæ. Hæc, vel, in præsenti ordine, possibilium omnium purissima anima animæ Josephi totam se commiscebat in Spiritu sancto, qui, « in ambobus præsidens, ambobus erat conjugalis amor ». (*Rup.*) Vitam vere vivebant unam, totos triginta per annos ; aut potius ipsis vita erat una Jesus !

Adest amoris particeps
Curæque Joseph conjugi,
Quos mille jungit nexibus
Virtutis auctor gratia.
Hi diligentes invicem
In Jesu amorem confluunt ;
Utrique Jesus mutuæ
Dat caritatis præmia.
(*Off. ss. Fam. Ad Laud*).

Assidet nato pia Mater almo,
Assidet sponso bona nupta, felix
Si potest curas relevare fessis
Munere amico.
(*ad Mat.*)

Hæc tanta mysteria prospiciens, quidam Scripturæ interpres non potest in has voces non prorumpere : « Quid excellentius hoc Virginis amore erga sanctissimum Virum ! quid excellentius hac tanta familiaritate inveniri potest ! Nulla in orbe pura creatura fuit (nec certe sublimior) quæ majori conjugem suum amore, quam Virgo prosequeretur, nulla fuit qua familiarius uteretur ». (*Barrad., I, Matt.*) — « Post Christum, filium suum, nullum hominem vel creaturam aliam ita amavit Virgo sicut Joseph ». (*Bustos Serm.* 2, *de s. Jos.*) Nec certe ulla creatura Virginem, sicut Josephus, amavit unquam.

Si Patres audiamus et ipsam, quam de Virgine cantat Ecclesia, Scripturam, Maria potius fere fuit de familia Dei, quam de humana familia : *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. — Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Qui creavit me requievit in tabernaculo meo. — Veni, sponsa, veni. Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa.* (*Prov., 8.*)

Quid possunt hæc quadrare cum conjugio ? Nonne nupta divisa est ? (*Cor.*, VII) Quis audeat, hominum vel angelorum, amorem Virginis cum ss. Trinitate participare ? quis cor dividere ? Numquid hoc patietur Pater, Verbum, Spiritus Sanctus ? Hoc utique patietur ; immo et hoc disponet ss. Trinitas ; nec nimis amorem hunc Virginis participabit homo de specialissimo

sponsi titulo. Maria tota ss. Trinitatis erit, sed et tota Josephi. Josephus ad hoc dignitatis evehitur, ut Deus dilectionem illam, quam sibi in corde Mariæ creaverat ineffabilem, cum ipso totam ac plane communicet. Josephus debet esse Pater invisibilis visibilis factus, invisibilis sponsus factus visibilis. Hoc adeo verum est et ad mentem Ecclesiæ dictum, ut, si conferas lectiones 1 Nocturni, quas in festo Desponsationis recitare jubemur, miraberis Ecclesiam celebrare connubium Mariæ cum Josepho iisdem terminis, quibus ejusdem Mariæ connubium cum Sponso Deo concelebratur. (*Incipiunt Cant. Cant.*)

Exclamavit Elisabeth, adventante Maria : *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* (Luc, I, 43). Si tantum honorem voluit Spiritus sanctus, ex sola Virginis visitatione, prædicari, quantum voluit ex ejusdem Virginis desponsatione, ac jugi et intima conjugali necessitudine agnosci?

2° Pars. *Ex titulo Sponsi Deiparæ summa Josephi ad Deum affinitas.*

1° Quantumvis dicatur Josephus *pater putativus*, est tamen, non *putative*, sed omni rigore et veritate sponsus Dei Genitricis : porro non potest esse sponsus Dei Genitricis, quin sit maxime omnium affinis Deo. Esto, quod Josephus non fuerit affinis Deo nisi per sponsam suam : quum sponsa fuerit affinis Deo quantum creaturæ est possibile, et aliunde sponsus sponsæ sit affinis, quantum fieri potest, non potuit Josephus maximam cum Deo affinitatem non participare.

2° *Jure conjugii.* Filius Dei, per Mariam, fuit filius Josephi ; ergo Josephus per Mariam maxime omnium fuit affinis Deo, ceu pater filio.

3° Ex ordinatione divina conjuges ambo matrimonium contraxerunt virgineum, ut Filius Dei in eo nasceretur et educaretur : porro hæc est affinitas Deo, qua major, intra virginitatis limites, concipi nequit. Ergo.

3° Pars. *Inde cultus summus.* Sponte fluit ex præcedentibus. Summam excellentiam debet consequi honor summus (S. Thom.). « Maxima reverentia debetur homini ex affinitate quam habet ad Deum » (*Id.*). Pronum est concludere.

Scholion 1. Recte dici potest summam Josepho accedere digni-

tatem, vel ex titulo sponsi Deiparæ, vel ex titulo patris Christi, præcisive, vel ex utroque simul. — Ex titulo *patris* Christi, quia demum, sicut tota dignitas Mariæ ab ejus cum Christo conjunctione procedit, ita et dignitas Josephi ; utque Maria, qua Mater, fuit Verbo Dei omnium conjunctissima, ita, post Mariam, eidem Verbo Josephus, qua pater, fuit omnium conjunctissimus. — Ex titulo *sponsi* Deiparæ, quia Deipara, qua sponsa, maritum fecit dignitatis suæ participem ; et, qua Deipara, dignitatem nacta est omnium summam ; insuper, qua sponsa et qua Deipara, Josephum Christo strictissime conjunxit. — Ex utroque simul, quia, quum tota Josephi dignitas et Christo affinitas per Mariam, seu per desponsationem cum Maria, oriatur, *realiter* non possunt hi tituli separari. Non fuit Josephus summus, prout sponsus, nisi quia sponsa ejus fuit Deipara ; summus non fuit prout pater Christi, nisi quia per desponsationem cum Deipara fuit ad hanc paternitatem evectus.

Scholion 2. Ecclesia hucusque celebrando *potissimum* et *explicite*, in s. Liturgia, *Sponsum Dei Genitricis*, non potuit *implicite* non celebrare omnia privilegia omnemque dignitatem, quæ in hoc titulo continentur. Ideoque, quum *explicite* totam s. Josephi excellentiam et dignitatem profitebitur, admittendo cultum *Protoduliæ*, modum quidem, minime *essentiam* cultus immutabit. *Objective* et *essentialiter* cultus erga *sponsum Dei Genitricis* fuit et est cultus summæ duliæ, quia impossibile est perspicere quid hoc nomine venit, quin excellentia summa, summaque Deo affinitas, comprehendantur.

Item eo ipso quod Scriptura, Patres et Theologi titulum sponsi Deiparæ et titulum parentis Christi Josepho vindicant *explicite*, simul *implicite* affirmant quidquid sub hoc duplici titulo latet. Revera, uti jam monui, si standum esset iis tantum quæ Patres explicite docent, reprobandus etiam esset cultus quem hodie Beato Josepho Ecclesia decrevit, utpote multis retro sæculis inauditus et insolitus.

Unde quæstio moveri non debet, an Scriptura, Patres et antiqui Theologi, Josephum *explicite* prætulerint omnibus ; sed, theologice, quærendum est : an in iis, quæ *tradiderunt* explicite, excellentia s. Patriarchæ vere contineatur ac legitime demon-

stretur. Et quidem ita esse, nedum sensus catholicus, sed non pauci theologi asseruerunt ; asseruerunt plus numero quam octingenti, Patres Purpurati, et ss. Antistites ; asseruit Pontifex summus Leo Pp. XIII. Hoc idem præstare in isto meo qualicumque opere pro modulo conatus sum.

THESIS DECIMA SEPTIMA

Titulus Patroni Ecclesiæ catholicæ, quo authentice B. Josephus decoratus est, arguit, non modo in se, sed in ipsa jam Liturgia, titulum summum, quem logice consequitur cultus liturgicus summus, seu Protoduliæ.

Declaratio. S. Josephus, permultis postulantibus Patribus Vaticanis, universæ Ecclesiæ Patronus fuit a Pio IX solemni oraculo proclamatus.

Audivimus Benedictum XIV vindicantem « Beato Josepho Patri Jesu putativo » titulum Patriarchæ, atque, sub hoc titulo, « paternitatem omnium fidelium ».

Leo XIII hanc eamdem doctrinam explicite ac firmius docet.— « Atqui domus divina, quam Josephus velut potestate patria gubernavit, initia exorientis Ecclesiæ continebat. Virgo sanctissima, quemadmodum Jesu Christi Genitrix, ita omnium est christianorum mater... Itemque Jesus Christus tanquam primogenitus est christianorum, qui ei sunt adoptione et redemptione fratres ; — quibus rebus caussa nascitur, cur Beatissimus Patriarcha commendatam sibi peculiari quadam ratione, sentiat multitudinem christianorum, ex quibus constat Ecclesia, scilicet innumerabilis isthæc perque omnes terras fusa familia, in quam, quia vir Mariæ et pater est Jesu Christi, paterna propemodum auctoritate pollet. Est igitur consentaneum et Beato Josepho apprime dignum, ut, sicut ille olim Nazarethanam familiam, quibuscumque rebus convenit, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio cœlesti Ecclesiam Christi tegat ac defendat.

» Hæc quidem, Venerabiles Fratres, facile intelligitis ex eo

confirmari, quod non paucis Ecclesiæ Patribus, ipsa adsentiente sacra liturgia, opinio insederit, veterem illum Josephum... hujus nostri personam adumbrasse ac munera, itemque, claritate sua, custodis divinæ Familiæ futuri magnitudinem ostendisse. — Sane, præterquam quod idem utrique contigit, nec vacuum significatione, nomen, probe vobis cognitæ sunt aliæ, eædemque præcipuæ, similitudines... Illud deinde magis, quod regis jussu toti regno summa cum potestate præfuit : quo autem tempore calamitas fructuum inopiam caritatemque rei frumentariæ peperisset, Ægyptiis ac finitimis tam excellenti providentia consuluit, ut eum rex *salvatorem mundi* appellandum decreverit. Ita in vetere illo Patriarcha hujus expressam imaginem licet agnoscere, Sicut alter prosperus ac salutaris rationibus heri sui domesticis fuit, ac mox universo regno mirabititer profuit, sic alter christiani nominis custodiæ destinatus, defendere ac tutari putandus est Ecclesiam, quæ vere domus Domini est Deique in terris regnum. » (*Quanquam pluries.*)

Ex his tam luculentis verbis, quæ ex toto, licet longiuscula, juvabat exscribere, manifeste patet titulum Patroni Ecclesiæ Beato Josepho competere, velut necessitate quadam naturali, aut connaturali, consequente titulum sponsi virginis ac Christi parentis.

a) Quia vir fuit Matris omnium fidelium christianorum, sponte concreditam sibi habet totam Mariæ familiam. Scilicet Maria mater est Corporis Christi realis et mystici ; Mater autem corporis mystici, quia Mater Corporis realis. Josephus, jure conjugii pater est Corporis Christi realis, ac consequenter, eodem jure, Corporis mystici pater. — Porro *Patronus* semper aliquid paternitatis sonat : quo magis aliquis pater, eo magis patronus ; quo magis patronus, eo magis pater. Sed, post Mariam, nemo magis pater Corporis mystici, quam Sponsus matris ejusdem Corporis mystici : ergo nemo magis patronus.

b) Accedit quod, « quum domus divina Nazarethi initia exorientis Ecclesiæ contineret », Ecclesia vel a primordiis tota Josepho credita est « patria velut potestate gubernanda » : non est ratio cur ab altissimo illo patronatu ceciderit vel cesserit, tum maxime quum longe efficacius eumdem possit exercere.

c) Ex solo titulo *patris adoptivi*, ait Leo, sicut Benedictus XIV, oritur Josepho jus quoddam connaturale patronatus in Ecclesiam universam : quanto magis ex paternitate longe veriore et sublimiore !

Igitur, ex doctrina Benedicti XIV et Leonis XIII, pronum est asserere hos tres titulos, *Patris*, *Patriarchæ*, *Patroni*, ita inter se componi, ut unus idemque esse videatur, ea tamen de ratione, ut radicem habeant communem in titulo *Patris Christi*.

Demonstratio. 1° **Pars**. *Titulus Patroni Ecclesiæ catholicæ in se arguit titulum summum.* — 1° Titulus *Patroni* arguit per se excellentiam agnitam, quæ non agnoscitur iis qui hoc titulo non insigniuntur ; sed eo magis crescit hujus tituli excellentia, quo se ad plures extendit ; jamvero soli Josepho agnoscitur titulus *Patroni* Ecclesiæ catholicæ, extenditque sese ad universam Ecclesiam. Ergo arguit per se excellentiam summam.

2° Patronatus eo perfectior et excellentior est, quo præstantius et firmius ejus fundamentum ; porro fundamentum patronatus s. Josephi est omnium perfectissimum et firmissimum.

a) *Perfectissimum*, quia est participatio maternitatis Mariæ, estque « ipsamet paternitas Josephi erga Filium Dei, Caput omnium electorum ».

b) *Firmissimum*, quia *naturali* ac *supernaturali* specialissimo Sponsi ac Patris titulo stabilitur ; dum alii patronatus aliqua tantum convenientia fundantur ; ac insuper, quia solemni Pontificio decreto constitutus est.

2° **Pars**. *Patronatus Ecclesiæ catholicæ est in ipsa Liturgia titulus summus.*

Titulus *Patroni* est liturgicus, scilicet, titulus qui vel a Liturgia creatur, vel in liturgia conscribitur et exercetur. Jamvero *Patroni*, in liturgia, ritum celebritatis obtinent summum ; recte quidem, quia constituuntur alicujus societatis fidelium veluti patres, quos Deus plane agnoscit et exaudit. — Porro B. Josephus titulo *Patroni* insignitus est, non erga aliquam societatem fidelium particularem, sed erga Ecclesiam universam. Proinde titulum in *Liturgia* jam obtinet summum. Immo titulum absolute summum, nam, declarando Josephum, prout Virginis sponsum et Christi patrem, Patronum Ecclesiæ catholicæ,

Pontifex professus est hunc titulum liturgicum nulli Beatorum tam excellenti ratione posse conferri.

3 Pars. *Consequenter cultus liturgicus summus, seu cultus Protoduliæ.*

1° Antequam s. Josephus Ecclesiæ catholicæ Patronus renuntiaretur ; potuit omni jure, in s. Liturgia, cultu *Protoduliæ* honorari ; nam hujus cultus præbent fundamentum, multiplici de ratione, titulus sponsi Dei Genitricis et parentis Christi, ac speciatim ejus ministerium, prout reponitur in ordine unionis hypostaticæ ; sed facta jam proclamatione Patronatus, datur fundamentum *liturgicum* hujus cultus, immo et quædem necessitas logica. Etenim logice cultus liturgicus debet consequi titulum liturgicum eique conformari; atqui, ex modo probatis, datur jam Josepho cultus liturgicus abolute summus. Ergo.

2° Nullus cœlitum renuntiatus est Ecclesiæ catholicæ Patronus : ergo *de facto*, nulli cœlitum competit cultus liturgicus, qui competit Josepho. — Sed neque ullus cœlitum potuit renuntiari Ecclesiæ catholicæ Patronus, ea ratione et amplitudine, qua renuntiatus est Josephus : ergo nulli cœlitum tribui potest de jure cultus qui tribui debeat Josepho.

Antecedens. A.) nullus cœlitum renuntiatus est Ecclesiæ catholicæ Patronus : nam, ut cæteros omittam, neque generatim Apostoli, neque speciatim Petrus et Paulus, neque Joannes Baptista, neque Michael archangelus.

a) *Apostoli*. Licet Apostoli sint fundamentum Ecclesiæ — cum Prophetis — immo aliquatenus ejus patres, doctrina, miraculis, exemplo, sacro ordine, haud tamen ceu *Patroni* in s. Liturgia agnoscuntur vel recoluntur. Signum hujus rei est quod, quum omnes Patroni in Liturgia sub ritu duplici 1 cl. celebrentur, ita ut Patrono omnes alii sancti festo cedant, plerique Apostoli ritu tantum duplici 2 cl. gaudent.

Re vera, quanquam Apostoli jurisdictionem universalem habuerint ad fundandam Ecclesiam, illam tamen, objective loquendo, habuerunt dependentem ab auctoritate Petri ; neque singuli fundarunt universam Ecclesiam, sed omnes in solidum. Quapropter minus apte et nonnisi late ac in solidum dicuntur Patroni Ecclesiæ, absque in hunc sensum titulo liturgico.

b) Petrus et Paulus. Patroni quidem sunt formaliter, sed Ecclesiæ Romanæ. Liturgiam confer. Extra Ecclesiæ Romanæ ritum, ea quidem recoluntur principalitate, quæ eos decet, minime tamen sub *Patroni* titulo.

c) Joannes Baptista. Nunquam, re nec nomine, Patronus Ecclesiæ catholicæ dictus est.

d) Michael Archangelus. Quanquam habeatur aliquo modo in Ecclesia Patronus, hic tamen titulus non est proprius nec liturgicus. Quod statim manifestum fit ex ritu liturgico, quo celebratur, scilicet, die VIII Maii, sub ritu dupl. major. ; die vero XXIX septembris, sub ritu dupl. **2** cl.

Nullibi dicitur proprie (1) in s. Liturgia Patronus, sed adjutor et auxiliator potentissimus. — « Venit Michael archangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas sanctorum, ut perducat eas in paradisum exsultationis. » — « Michael archangelus venit in adjutorium populi Dei. » — « Michael præpositus paradisi, quem honorificant angelorum cives. » « Hic est Michael archangelus princeps militiæ angelorum, cujus honor præstat beneficia populorum et oratio perducit ad regna cœlorum. »

Præterea s. Michael nulla profecto ratione dici potest Christi pater, pater fidelium : qua ex parte maneret ejus patrocinium inferius patrocinio s. Josephi.

B) Nullus cœlitum potuit renuntiari Ecclesiæ catholicæ Patronus tam sublimi ratione quam B. Josephus.

Etenim, juxta Pontifices Leonem et Benedictum, s. Josephus jure merito dicitur Patriarcha, seu fidelium omnium pater, quia pater fuit Christi ; atqui nulli cœlitum tribui potest paternitas erga Christum, illa præsertim paternitas, quam, ducibus Thoma et Augustino, vindicavimus Josepho.

(1) In 4 lect festi Apparitionis s. Michaelis legitur quidem : « Eum, ut olim Synagoga Judæorum, sic nunc custodem et patronum Dei veneratur Ecclesia » ; ast heic vocabulum *patronus* non accipitur sensu stricte liturgico, prout demonstrant argumenta facta ; *protectorem* tantum specialem sonat, ut in reliquis liturgiæ locis manifestum fit.

Adde, nulli Cœlitum commisa sunt « initia exorientis Ecclesiæ », nullus fuit aut potuit esse Patronus Mariæ (ut vocat Josephum Albertus M.), nullus, ex officio, Patronus Domini Nostri Jesu Christi.

Concludamus, cultum Protoduliæ non futuram esse in s. Liturgia novitatem, sed publicam exercitationem tituli liturgici jam in eadem Liturgia recepti.

Scholion 1. Mihi videntur rem leviter et eminus considerasse, qui opinantur satis proclamationi Patronatus s. Josephi fuisse factum, sola elevatione ejusdem festi ad ritum 1 cl. — Hæc utique est regula generalis, ut statim ac aliquis sanctus eligitur Patronus cujusdam nationis vel Ecclesiæ, ejus festum, in hac natione vel Ecclesia, ad ritum dupl. 1 clas. elevetur. Verum in immensum differt quæstio præsens de Patronatu s. Josephi.

a) Hi sancti non renuntiantur Patroni nisi alicujus partis Ecclesiæ.

b) Ratio, cur his sanctis festum natale elevetur, non est proprie eorum excellentia, absoluta vel relativa, sed tantum eorumdem renuntiatio in Patronos. Jam festum s. Josephi, « pro dignitate personæ », ut loquitur s. Rituum Congregatio, omni jure, ante omnem Patronatus proclamationem, et independenter ab ea, potuit elevari ad ritum supremum. Quare proclamatio isthæc fuit occasio elevationis, minime causa necessaria.

c) His sanctis proclamationis Patronatus ratio stat, non in eminentia speciali supra cæteros sanctos, sed in quibusdam adjunctis convenientiæ. Sancti Josephi Patronatus fundatur in jus quoddam quasi naturale sibi divinitus factum. Non extensione tantum, nec ex sola proclamatione, sed maxime ex ejusdem fundamentis, toto cœlo differt a quolibet alio Patronatu. Ergo satis non est illi applicare regulas generales, sed plane decet ut aliis supra honoribus ejus excellentia recognoscatur.

Scholion 2. S. Josephus, sicut est ordinis Patriarchalis felix clausula, ita est omnium Patriarcharum princeps. — Eruitur ex verbis citatis Benedicti XIV et Leonis XIII. Etenim Josephus est Patriarcha, uti tota profitetur Ecclesia ; Patriarcha autem non est, nisi quatenus est pater omnium fidelium, immo « omnium

electorum » ; pater vero fidelium et electorum est, quia pater Christi. Ergo, et natura paternitatis, et longa ac pene innumerabili filiorum progenie, omnibus præstat Patriarchis.

THESIS DECIMA OCTAVA

Ratio, inter alias, propter quam B. Josephus cultu summo non fuit, ad hanc usque diem, auctus, inde forsan venit, quod ejus excellentia propria et affinitas ad Deum nondum fuerint jure publico factæ, agnita ejusdem vera et objectiva erga Incarnatum Verbum paternitate.

Declaratio. Hanc thesim, expressis terminis tractavit cl. Marchesi, in suo ad s. Rituum Congregationem voto, pp. 109, 163 ; nihil aptius et securius quam ipsiusmet verba referre, ut modo faciam.

Card. Gotti, postquam « lubens », annuerit colendum esse s. Josephum « summo duliæ cultu super omnes », subdit : « Mirum tamen videtur, quod summam hanc excellentiam in s. Joseph, super omnes sanctos, Ecclesia non nisi sero agnoverit, vel saltem non nisi sero cœperit venerari. Si enim in tanta dignitate fuit constitutus, cur permisit Spiritus sanctus eum tanto tempore ignorari, vel saltem minori dignitate coli quam Apostolos aut alios non paucos sanctos ? » (*l. c.*) — Ipse, cum Benedicto XIV (c. 20. n. 8) varias rationes adducit, nihil tamen tangendo de illa quam in præsenti dicimus.

Mihi quidem duplex datur causa, inter alias, cur cultus s. Josephi tanto fuerit dilatus tempore et adhucdum non sit plane evolutus, altera extrinseca, eaque potior : quod voluerit Spiritus sanctus nostris temporibus novum de thesauro suo providere auxilium ; altera intrinseca : quod excellentia propria et summa s. Josephi nondum fuerit publico jure facta et in tuto posita. De priore nihil dicam ; de posteriore sic Aloysius Marchesi.

Demonstratio. « Ecclesiam catholicam in sua Liturgia vel

nullam hucusque de paternitate proprie dicta s. Josephi erga Christum rationem habuisse, vel, ad summum, nonnisi paternitatem *mere putativam* in illo considerasse, ex Liturgiæ ipsius inspectione omnibus patet. »

Et postquam longum Florentinii, locum retulerit, sequitur. « Ex his itaque quæ hic de s. Josepho erudite disserit Florentinius, clare eruitur 1° Ejusdem Beati Viri cultum sero admodum in Ecclesia occidentali fuisse introductum ; 2° Eum tam in oriente quam in occidente, nonnisi sub titulo *Justi* vel *Virginis*, vel *Sponsi* seu *Custodis Dei Genitricis*, vel *Confessoris*, vel, ad summum, *Nutritii D. N. Jesu Christi* veneratum postea fuisse ; nunquam vero et nusquam sub titulo *Patris Christi*, (qui tamen explicite et pluries legitur in Evangelio).

» Quod autem, hoc sub titulo Patris Christi, nec posterioribus sæculis, ad nostra hæc usque tempora, neque explicite, neque implicite (hoc verbum Marchesi indiget explicatione), Beatum Joseph in sacra Liturgia catholica Ecclesia coluerit, manifestum pariter est. Nam, præterquam quod etiam hodie in martyrologio romano simpliciter legitur : « In Judæa natalis s. Joseph, sponsi Bmæ Virginis Mariæ », simplicius vero in calendario tum missalis tum breviarii : « Joseph Confessoris » ; omnes norunt, ad annum usque 1714, officium s. Josephi ex integro desumptum fuisse *de communi Confessoris non Pontificis*, additis tantum lectionibus secundi et tertii nocturni, necnon Evangelio et oratione propriis. In offiicio vero proprio, quod elegantissime composuit ipse Clemens Pp. XI, an 1714 ; quodque in præsens recitatur, loca quidem Evangelii, quæ B. Josephum Christi *patrem* proclamant, inveniuntur inserta... sed præter illa, *nullibi* de ejus proprie dicta paternitate erga Christum fit mentio. Quin imo ex toto officii contextu satis clare manifestum fit, ibi de paternitate mere putativa Ecclesiam habere rationem.

» Revera in *Invitatorio*, « in quo, ait Benedictus XIV, præsertim proponitur intentio Ecclesiæ ».., disertissime : *Christum Dei Filium, qui putari dignatus est filius Joseph, venite adoremus.*

» Meminisse etiam hic oportet, serioque ponderare factum notatu dignissimum, quod, cum in hac Congregatione (Rituum) de nomine s. Josephi in litaniis restituendo Benedictus XIV,

tunc Prosp. Lambertini, fidei Promotor, in suo, quod ea occasione ex officio exaravit, voto, ne verbum quidem fecit de hac potissima s. Josephi qualitate, de ejus nempe vera, etsi non carnali, paternitate erga Christum, tantumque *putativam* et *appellativam* ejusdem Beati Viri memoravit paternitatem. »

Heic Marchesi varia loca lucubrationis Lambertinianæ recitat et sequitur. — « Ex quo evidenter apparet illum (Lambertini) divinam hanc Josephi paternitatem, nedum vix summis attigisse labris, sed, magis animadvertendum est, nonnisi paternitatem putativam et appellativam in B. Josepho erga Christum serio agnovisse.

» Quid mirum igitur quod doctissimus vir munus et officium s. Josephi Apostolorum munere et officio excellentius hocce librili haud æstimarit. Hoc proculdubio minime accidisset, si ipse paternitatem Josephi, duce Augustino... aptius ac maturius pro re sua expendisset. Cum enim ipsemet dicat quod : petitiones pro augendo cultu B. Josephi tunc æquo jure erunt exaudiendæ, « cum demonstrabitur s. Josephum talibus prærogativis potiri, ut ab ejus nomine ad aliorum sanctorum nomina duci nequeat consequentia » ; cumque subdat quod « probationum vis constituenda videtur in his quæ certa sunt et quæ ex ipso Evangelii fonte hauriuntur » ; cum denique, prout jam supra demonstratum est, ex ipso Evangelio certum sit B. Josephum patrem fuisse D. N. Jesu Christi in sensu vero et theologico, concludendum erit quod : si clarissimus Lambertini, ingenio præpotens, paternitatis hujus magnitudinem, dignitatemque inde exsurgentem æqua lance librasset, haud dubium quod, ne sibi suisque principiis refragari vellet, munus et officium B. Josephi apostolico muneri præferre minime potuisset.

» Quam quidem veri nominis paternitatem neque ullo modo præ oculis ab hac s. Congregatione (Rituum) habitam fuisse, cum an. 1815 actum est de additione nominis s. Josephi in Canone Missæ certo certius videtur. De hac enim re nullum vel leve vestigium reperitur, neque in relativo, quod prodivit, decreto, neque in secretiori atque authentico hujus sacræ Congregationis tabulario, quod ego ipse, una cum meritissimo secretariæ substituto, diu quidem, sed frustra, scrutatus sum.

« Nunc itaque : Si de vera et proprie dicta paternitate s. Josephi erga Christum *nullam* usque adhuc rationem habuit Ecclesia in sua Liturgia ; si de eadem paternitate, ne verbum quidem ullo unquam tempore factum est in sacra Congregatione, quando de ejusdem Sancti cultu augendo tractatum fuit, quid mirum, si cultus ipse relative exiguus usque modo perseveret atque ad debitum usque gradum nunquam pervenerit ? Res aliter sese habere nullo modo poterat. »

Atenim cur Ecclesia paternitatem *matrimonialem* ac *virgineam* Josephi erga Christum non prædicaverit, sed tantum *putativam* ? — « Prudens nempe timor ne ansa præberi posset infensissimis Ecclesiæ hostibus acrius impetendi venerandum Incarnationis mysterium, ineffabilem scilicet Christi conceptionem de Spiritu sancto ex Maria Virgine. (Citat varias hæreses.)

» Hisce positis, quam periculosum foret anteactis temporibus B. Josephum Christi patrem prædicari in sacra liturgia eique proinde debitum summæ duliæ cultum decernere nemo non videt...

» Ast nonne eadem, vel alia ejusdem generis imminere discrimina etiam hodie timendum est ? Minime gentium. Enimvero a sæculo et ultra, non cum ethnicis vel Judæis, neque cum hæreticis proprie dictis nobis est colluctatio, sed cum incredulis et, quos aiunt, *rationalistis*...

» Unde ex mutata prorsus temporum conditione nihil hodie pertimescendum, si Ecclesia catholica debito tandem summæ duliæ cultu Beatum prosequatur Josephum, ejusque venerandam erga Christi paternitatem in sacra celebret Liturgia. De hoc enim nostri, qui foris sunt, hostes vel nullo modo solliciti erunt, vel nos, ad summum, ludibrio habebunt atque contemnent. Quod et recentiori confirmari potest exemplo dogmaticæ definitionis de Immaculata B. Mariæ Virginis conceptione (necnon et de R. P. infallibilitate), cujus proclamationem, ex acatholicis, serio impugnandam neminem suscepisse omnibus notum est. Nullum igitur, nostris hisce temporibus, vereri potest discrimen ex amplificatione, quantumvis maxima, cultus s. Josephi.

» Cujus quidem rei sponsorem fidissimum nobis sese exhibet vel ipse summæ ac spectatæ prudentiæ vir, Lambertinius, qui ubi affirmat quod prioribus sæculis : « amplificatio cultus ejusdem (s. Josephi) timebatur quod esset ansam suppeditatura hæreticis, asserentibus eum non putativum sed naturalem patrem fuisse Redemptoris », statim subjungit : « At utcumque sit de supra recensitis Ecclesiæ sæculis, quibus, ex dictis causis, aut nullus aut modicus erat cultus erga s. Josephum, *nullum* certe ex capitibus a s. Bernardino Senensi expositis aptum esse potest ad impediendam cultus extensionem tempore præsenti. » Et inferius (idem Lambertini) : « Hæc et similia bene congruebant temporibus, quibus mysteria fidei non erant adeo perspecta, sed profecto non congruunt subsequentibus et postremis nostris temporibus, quibus, Deo dante, fides satis est corroborata, ut pie et docte explicant Bollandiani in vita s. Josephi ». Et iterum paullo post : « Cum in aperto positum sit *nihil hodie* (1714) esse quod obstet amplificationi cultus s. Josephi... » Et infra : « Caussæ in totum cessarunt, quæ extensioni cultus s. Josephi obstabant. » — Si autem hæc certa erant et explorata Benedicto XIV, jam ab anno 1714, quanto certiora et firmiora nobis esse debeant, anno 1870 (quo scribebat Marchesi) nemo non videt. »

Hæc quidem longiora, sed celebratissima, neque poteram ego tanta auctoritate edicere. Pauca subjungam.

1° Ultima verba Marchesi, ac præsertim Benedicti XIV, sunt plane observanda : hodie timendum non est ne scandalum, ex cultu *Protoduliæ* et ex insertione nominis Josephi in Missa, protestantes vel acatholici patiantur ; ac, si oboriretur scandalum, non esset attendendum.

Idem omnino profitentur permulti Episcopi, qui ex Anglia (omnes, duce C. Manning), ex America, ex Germania, aliisque regionibus, *Postulato* proprium nomen subscripserunt. Recolantur duo *Elenchi* supra positi : manifestum fiet maximam totius Ecclesiæ partem nihil de *scandalo* veritam fuisse.

Igitur, vel non scandalizabunter acatholici, vel, si scandalizentur hoc totum ipsis culpæ vertendum erit. Estne aliquod decretum dogmaticum vel disciplinare, de quo non *scandalizent*

sese quidam protestantes ? Numquid ideo privandi sunt fideles catholici maximo bono quod ex iisdem decretis debet ipsis promanare ? Hac de ratione, scilicet *opportunitatis*, quidam tentarunt, sedente Concilio Vaticano, impedire dogmaticam definitionem de *Primatu* et *Infallibilitate* Romani Pontificis : « Nonnulli catholici et protestantes scandalum erant de hac definitione passuri ». — Visum est Patribus et Spiritui Sancto scandalum, quod timebatur, non attendere : et jam tota Ecclesia summo bono quod inde profluit, fruitur in pace.

Aliud quippe est *caussam* scandali ponere, aliud ponere meram *occasionem*. Docent theologi caussam scandali poni posse (non mala intentione), quum caussa in se bona est seu indifferens et immediate bonum habet effectum, qui tunc *per se* ex caussa procedit, dum scandalum *per accidens* tantum. Ergo, si amplificatio cultus s. Josephi caussa scandali Protestantibus esset, liceret omnino hanc amplificationem decernere, quia simul per se Christi fidelibus maximum bonum obveniret.

Ast amplificatio cultus s. Josephi nullatenus esse potest *caussa* scandali, quia nihil in se, quod scandalizare quemquam possit, continet. Ergo, ad summum, esset *occasio*, aut esse posset. Sed, si licet causam scandali ponere, *a fortiori* occasionem, quum tota tunc ratio et malitia scandali apud scandalizatum stet. Nec propterea privari possunt catholici bono ad quod jus certum habent.

Insuper non adeo perspectum est, quod protestantes, saltem multi, sese, ex amplificatione ista, scandalizent. Et certe tam scandalum quam clamores cito transibunt, manente dantaxat bono toti Ecclesiæ acquisito.

Sed enim, nedum hæc amplificatio cultus Protestantibus officiat, contra plurimum ipsis prodesse poterit. Nonne sacrarum Missionum sanctus Josephus specialis Patronus adlectus et proclamatus est ? Ego firmissime assero et certissime promitto amplificationem cultus s. Josephi nulli unquam protestanti bene disposito futuram esse caussam vel etiam occasionem ruinæ spiritualis, sed pluribus auxilium potens resurrectionis et salutis. Unde audeo dicere nullibi esse magis expetendam amplificationem cultus s. Josephi, quam in regionibus infidelium ac Pro-

testantium. Iterum Josephus, ad mentem ss. Patrum, in has regiones Puerum Jesum deferet, ut, tam hæresim quam idola, conterat atque pellat,

2. Notandum. Multum a catechistis et ab oratoribus sacris pendet amplificatio cultus s. Josephi. Quod ut facilius exsequantur, summopere optandum est, ut sacræ theologiæ magistri thesibus suis de Verbo Incarnato theses interserant quasdam ac præcipuas de paternitate vera et objectiva s. Josephi, deque ejusdem in ordine unionis hypostaticæ ministerio intrinseco. Quod ni fiat, apud multos permanebit excellentia s. Josephi subobscura aut incognita.

Scholion. Cultum Protoduliæ, saltem materialiter, jamdudum exercent, quanquam privatim, Christifideles. adeo ut nihil novi revera postuletur, nisi authentica cultus privati adprobatio et publica confirmatio.

Audivimus supra Emos S. R. E. Cardinales et RRmos Episcopos contestantes : « magnum diu in orbe exardescere desiderium, ut s. Josephi publicus cultus, quantum par est, augeatur. » Atque ideo enixis precibus postulant, « ut ipsimet publicus duliæ cultus, in Ecclesia catholica atque in s. Liturgia, post Beatam Dei Genitricem, in posterum tribuatur ».

Eodem tempore, hoc desiderium, immo et exercitium cultus summæ duliæ, Societas *a cultu Joseph promovendo* verbis testabatur, quæ magnam partem, heic referre proderit. (Marchesi, p. 181.

« Nullum alium Sanctum Christiani ardentiori studio ac devotione majori colunt ac venerantur quam Beatissimum Joseph, ad quem, tam quotidie, quam ubique, videmus *fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones*... Ecclesia ipsa, tantam admirata erga Joseph pietatem atque observantiam, non potuit, pene diximus, quin thesaurum indulgentiarum copiosius effunderet, ut ex earum recensione, Romæ approbata typisque cusa, liquido patet. In qua nimirum recensione, ne unam quidem reperire est indulgentiam, quæ ad ss. Christi Præcursorem referat ; pauciores vero, localesque prope omnes, ad augendum Petri et Pauli, Principum Apostolorum, cultum, concessas fuisse videmus. Nihil dicimus de aliis Sanctis.

» Sed, quod ad Joseph attinet, nec ipsum quoque nomen ejus, cujus laudandi gratia recitantur Psalmi, indulgentia vacat (a Pio VI concessa). Item Ecclesia oratiunculas, quas vocant *jaculatorias* videlicet sequentes : *Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono col mio cuor l'anima mia, — Gesù, Giuseppe e Maria, assistete mi nell' ultima agonia, — Gesù Giuseppe e Maria spiri in pace con voi l'anima mia*, non solum probavit, verum etiam indulgentiis ditavit (Pius VIII, 1807). Quid hæc sibi volunt ! Quare christiani omnes huic e sanctis uni cor et animam dant dono lætantes? Quare trepido exitu ancipitique metu Joseph appellant, Joseph obtestantur, Joseph implorant? Quare in manibus Joseph æque ut Jesu et Mariæ, animam exhalare ardentissime cupiunt? Cur vero non in manibus Joannis Baptistæ? cur non Petri? cur non Pauli? Nemo quidem profecto, nemo unus asserere audebit aliquem ab Ecclesia coli sanctum, in cujus honorem preces id genus ubique terrarum fundantur.

» Unde, hic quærimus, unde major hæc fiducia? unde in universo Christianorum populo frequentior iste acriorque ardor nomen et opem Joseph invocandi? Quis, urgemus etiam, quis tam inops mentis esse potest, ut Patriarchæ hujus præstantiam, quæ alto fidelium animo reposita manet, rem prorsus inanem aut solido carentem fundamento susurret? Quis adeo retusi ingenii est, ut hoc tam mirabile devotionis incrementum in patrem Christi Jesu ac Virginis Mariæ sponsum afflanti Spiritui sancto non tribuat? Igitur et concors populi catholici sensus ita Joseph sanctorum omnium maximum prædicat, ut Ecclesia falli nescia nullo modo hac de re ambigere possit.

» Quem quidem sensum et promunt et produnt, tum ephemerides speciales, quæ in nostra Italia, in Gallia atque in Hispania, ad cultum sanctissimi hujus Patriarchæ provehendum in majus, evulgantur ; tum sacræ sodalitates propemodum innumerabiles, tanti Patroni ductu et auspiciis institutæ ; tum piissimum exercitium illud, quod nominis *Cultus perpetui* nuncupant ; tum ea quæ invaluit iam consuetudo mensem martium in Joseph honorem dicandi, quæque, Divo mirabiliter juvante, crescit in dies ; tum vel alia permulta, quæ oculis ipsis nostris videmus, nostris auribus audimus, manibusque nostris contrectamus,

tanquam divinitus sancita, *contestante Deo signis et portentis* et variis virtutibus et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem (*Hæbr.*, II, 4). »

Omissa emphasi, quæ, cæterum, veniam meretur, vera hæc omnia sunt. Aut potius, vera erant, quum scriberentur (an. 1869), id est, antequam Vaticani Patres *Postulato* subscriberent, antequam Superiores Generales Josephum indigitarent cœlitum primatem, antequam Josephus renuntiaretur Ecclesiæ catholicæ Patronus, antequam officium ss. Familiæ celebraretur, antequam Leo XIII Josephum diceret dignitate unum eminere inter omnes et Dei Genitricis dignitati propinquissimum, antequam alii sexcenti Episcopi et Cardinales iterum cultum *Protoduliæ* Josepho postularent : quanto igitur veriora nunc !

Profecto qui vel summatim voluerit considerare quæ in honorem Beati Josephi ubique terrarum hodie et quotidie signa devotionis multiplicantur, non poterit non fateri, nullum alicui sancto tribui honorem, qui Beato Josepho non retribuatur : ipsique soli omnia simul honoris signa et alia quædam retribui ; quin etiam populum christianum omnibus fere iisdem signis cultus externi, etsi non eodem gradu, Beatum Josephum prosequi, quibus ipsam prosequitur Deiparam Virginem Mariam. Una adpellatione passim invocantur Jesus, Maria, Josephus. Festum recolitur ss. Familiæ Jesu, Mariæ, Josephi. Neque satis.

Confraternitates eriguntur in honorem s. Josephi ; ecclesiæ, instituta religiosa, sub ejus nomine et patrocinio fundantur ; vix ecclesia aut capella est, ubi altare s. Josepho sacrum, aut saltem ejus imaginem non inveneris. Multis jam locis, ad quoddam ejus sacellum piæ peregrinationes instituuntur ; ejus litaniæ (adhuc quidem privatæ, sed mox, ut sperandum, publicæ), recitantur ; ipse cingulo castitatis clientes ope sua circumdat, Patronus renuntiatur, nedum Ecclesiæ catholicæ, tam militantis, quam patientis, sed etiam nationum, fidelium et infidelium, diœceseon, urbium, Patronus infinitorum pene numero christianorum, qui, principe sanctissimo Domino Nostro Pio X, ejus onomate gloriantur.

Ephemerides, folia volantia, imagines, picturæ, libri et libelli... gloriam ejus prædicant et spargunt ubique.

Mense integro, quin etiam cultu perpetuo, recolitur ; et jam toto octobris mense, in tributis Reginæ ss. Rosarii persolvendis, sociatur ; sociatur divinissimæ Sponsæ in orationibus sacerdotum post Missam recitandis. His porro exercitiis indulgentiæ additæ vix possunt numerari.

Revera cultus *Protoduliæ* toto orbe catholico, tam absolutus quam relativus, hodie s. Josepho persolvitur : quidni authentice agnosceretur, uti agnoverunt Patres Vaticani et alii sexcenti ? Quidni, post Leonem XIII, summa Josephi excellentia publico cultu celebraretur ?

SECTIO SECUNDA

DE SANCTITATE S. JOSEPHI

Absoluta jam utcumque quæstione de dignitate s. Josephi, aggredimur quæstionem de ejusdem sanctitate. Ad cultum *Protodulíæ* decernendum minime necessaria est, uti jam diximus, sed valde utilis.

Verum hic in limine exsurgit difficultas, quam *præjudicialiter* obtrudunt omnes s. Josephi adversarii, scilicet: de sanctitate Beatorum deque eorum ad invicem comparatione scire quidquam aut dicere nobis non esse fas, nisi Deus ipse revelaverit; de sanctitate vero s. Josephi, saltem relativa, nihil nobis fuisse revelatum; adeoque non posse nos affirmare Beatum Patriarcham aliis postponi aut anteponi, pieque tantum, nullo autem solido fundamento, excogitari quidquid super hac re proponitur vel affirmatur.

Huic difficultati, quæ quasi negatio est *a priori* cujusvis demonstrationis, quæque menti Lectoris jam inde ab exordio indispositæ, toto dicendorum decursu, obversata noceret, debeo heic præmittere solutionem infra evolvendam.

Igitur respondeo utique de sanctitate Sanctorum nihil a nobis, nisi docente Spiritu Sancto, esse adserendum; ast, in iis quæ revelavit, fontibus adjuvantibus theologicis, satis contineri quæ de sanctitate Josephi, non de fide forte, sed certo theologice, proponi possunt et tuto accipi. Perplures sane in Ecclesia veritates docentur, quæ, licet fidei motivo non illuminatæ, *certæ* tamen a theologis exponuntur, ut quæ ex veritatibus revelatis, rationis ope, legitimo discursu deducantur.

Jamvero revelavit Deus electum fuisse Josephum in *Virum Mariæ* ac *Patrem* seu *Parentem Christi*, justumque fuisse; revelavit eumdem diuturna et intima usum fuisse consuetudine cum Incarnato Verbo et Virgine Immaculata. Atqui ex his capitibus

adserendum videtur Beatum Josephum, non modo fuisse sanctissimum, ut concedunt omnes, sed etiam præivisse sanctitate omnibus Angelis et Sanctis. Pluribus id argumentis, si Deus dederit, demonstrabo, quæ licet aliquid commune habeant, formaliter tamen differunt. Non habent singula eamdem vim ; sed omnia simul vim videntur habere invictam.

Heic etiam instaurabo, quam supra præmisi, annotationem. Omnes, aut certe fere omnes, unanimi ore profitentur et absque dubio : *Virum Mariæ et Patrem Christi putativum* maxima fuisse sanctitate donatum. Ast hoc unde sciunt ? Numquid revelavit Spiritus Sanctus ? — Sed, aiunt, non potuit vir Mariæ et pater *adoptivus* Christi non sanctitate mirabili fulgere. — Perbelle quidem ; verum, si, citra vel ultra revelationem explicitam, sanctitatem Josephi extollis, ac indubitanter, ex duplici titulo *patris* et *sponsi*, hanc debes extollere quantum exposcit duplex ille titulus. Ergo, fatente te, non ex revelatione formali expetenda est cognitio sanctitatis relativæ s. Josephi, sed ex legitima deductione theologica.

THESIS DECIMA NONA

« Justus » Josephus non fuit justus, nisi justitia sua omnibus Beatis excelluerit ; hanc porro justitiam excellentem satis in SS. Paginis signavit Spiritus Sanctus.

Declaratio. Sermone sacro *justus* dicitur qui gratus est Deo : Deo autem, præsenti in ordine, gratus non est nisi qui gratia sanctificante, ac proinde omnibus virtutibus ornatur.

Declaravit Spiritus sanctus Josephum *justum*, quod vocabulum interpretatur s. Hieronymus cum aliis : « Attendite Joseph vocari *Justum*, propter omnium virtutum perfectionem ». De sanctitate ergo Josephi, eaque maxima, non est quæstio. Sed quæritur quo gradu, relative ad cæteros, fuerit justus. Dicimus in thesi : Si Josephus non possedit omnes virtutes, excellenti modo supra omnes Beatos, nec justus fuit. Hoc probamus in

prima parte quasi *a priori* ; in secunda dicimus hanc ideam bene respondere his quæ de Josepho Spiritus sanctus explicite revelavit.

DEMONSTRATIO. 1 Pars. « *Justus* » *Josephus non fuit justus, nisi justitia sua omnibus excelluerit.*

Ille *justus* non est, cujus justitia non respondet statui vel officio ; atqui, si Josephus justitia sua non excelluerit omnibus, ejus sanctitas non respondit statui nec officio. Ergo.

Major videtur evidens et est sensus communis, fitque manifesta ex ipsa appellatione justi : justus enim dicitur ille, cui nihil deest eorum quæ *debet* habere ; si vel minimum desit, *ex justo* deficit.

Min. A.) *generaliter.* — Ex dictis *status* Beati Josephi fuit omnium absolute et relative summus, tum qua sponsus Deiparæ, tum qua pater virgo Verbi Incarnati ; *officium* ejus fuit pariter summum absolute et relative, utpote quod, solum cum officio Bmæ Virginis, in ordine unionis hypostaticæ reponitur : ergo, vel justitia Josephi non respondit statui et officio, vel fuit absolute et relative summa.

B.) *In specie*, de virtutibus. — 1° *Fides* Josephi debuit esse in genere fidei summa. « Sciendum, ait D. Thomas (3. q. 29, a. 4, ad. 2.), quod miraculorum Dei quædam sunt, de quibus est fides, sicut miraculum virginei partus..., et ideo Dominus voluit ista occultiora esse, ut fides eorum magis meritoria esset. Quædam vero miracula sunt ad fidei comprobationem, et ista debent esse manifesta. » —

a) Jamvero miracula Josepho proposita sunt non secundi generis, sed primi duntaxat, et quidem omnium revelatorum occultissima : Conceptus Dei carnis facti, in sinu sponsæ suæ Virginis ! Dei nativitas in præsepio ! mysteria omnia vitæ Dei communis, per omnes ætatis semitas, totos triginta per annos, in fabri domo atque sub ejus potestate !...

b) Sed propositio horum omnium credendorum fit in somnis, absque altero argumento quam divinæ auctoritatis.

Minimum igitur rationis humanæ, maximum auctoritatis divinæ : non videtur exigi posse ab hominis assensu plus adhæsionis seu subjectionis soli divinæ auctoritati. Hanc fidem *debuit* habere *justus* Joseph.

2° *Obedientia*, fidei flos et fructus, ab eo exigebatur promptissima, ut onera illico amplexaretur, non modo gravissima, sed ea etiam quæ prudentiæ ac sapientiæ humanæ prorsus impervia, immo contraria viderentur. Infidelitas seu cunctatio vel minima non potuit non esse, tum in se, tum relate ad Verbum Incarnatum, summi omnium momenti : Ergo, in genere obedientiæ, *debuit* esse Josephi obedientia, omni ex parte summa.

3° *Spes* eo major et fide firmior *debuit* esse, quo magis improvisa, acuta, continua, insuperabilia, obstacula et pericula ; atque eo magis adhuc, quod, non de proprio commodo, vel de propria vita, ageretur, sed de vita ipsa Dei et Matris Dei ! Item a Maria et Josepho spes summa expectabatur triduo illo, quo ab eis discessit Jesus. Tandem spes : ut singulis diebus posset tueri et sustentare ss. Familiam.

4° *a*) *Caritatem* Josephus erga Deum *debuit* ex officio strictissimo habere, supra caritatem omnium Seraphim, nam debuit amare *Deum paterno* amore : limes hujus caritatis non potuit esse nisi limes ab ipso Deo, in hoc præsenti ordine, amori paterno erga Filium Unigenitum præstitutus (1).

b) Caritas erga proximum tam extensiva et intensiva *debuit* esse, quantum complectebatur ipsamet Incarnatio et ejus terminus Redemptio. Insuper Mariam debuit diligere, sibi proximam et proximiorem Deo, magis quam reliquæ creaturæ omnes.

5° *Abnegatio* igitur totalis sui *imponebatur*, qua non sibi viveret sed soli Jesu et Mariæ.

6° *Humilitas* : ut, neque sibi ullo modo gloriaretur, nisi in Domino, de suo familiari cum Dei Genitrice et cum Verbo Dei commercio, sed neque animo caderet, quum auctoritatem divinam in Jesum et Mariam susciperet. Qui in summo est dignitatis, humilis non est, nisi sit in summo humilitatis.

7° *Prudentiam*, quæ consistit in cognitione et amore finis ac in electione mediorum, Josephus debuit habere, quantam exposcebant thesauri sibi commissi : minima imprudentia maxi-

(1) Omnes virtutes infusæ augentur simul cum gratia et charitate : ideoque, si charitate vel alia quavis excelluit Josephus, omnibus excelluit.

mum dedecus vel malum intulisset sibi ipsi, Mariæ, Deo. Tanta ejus prudentia *debuit* esse, ut Deus ei « tuto committeret secretissimum ac sacratissimum suum arcanum » (Bern.), aut potius, ut Pater Æternus ei tuto committeret suum Unigenitum.

8° *Fortitudo* Josephi *debuit* superare omnes Dei-Hominis necessitates ; *debuit* ipsum Josephum ad culmina omnium virtutum, quæ satis essent ad suum statum, evehere.

9° *Justitia*, prout habet objectum reddere cuique suum, non potuit non esse in Joseph *justo* summa, quum *debuerit* reddere, nedum Dei Genitrici, sed ipsi Deo Incarnato, quantum debebatur ipsis, i. e., omnia bona sine mensura, titulo quidem sponsi et titulo patris : qui duo tituli præ se ferunt exigentiam omnium summam.

10° *Temperantia* Josephi duplici potissimum objecto debuit eminere : paupertate et virginitate.

a) Tanta *debuit* esse Josephi *paupertas spiritu*, ut neque Sponsæ neque Verbo Incarnato, egestatem patientibus, quidquam optaret, ultra id quod poterat illis labore suo comparare. Aliis *pauperibus spiritu* sufficit paupertatem *sibi* tolerare ; Josephus *debuit* tolerare paupertatem Jesu et Mariæ.

b) Virginitas requirebatur, quæ, quantum fieri potuit, virginitatem Mariæ æmularetur, tum propter debitum Mariæ honorem, tum propter finem ad quem dirigebatur : « ut generaretur de virgineis membris sponsus virginitatis et maritus castitatis ; » « ut ex virginali conjugio Virgo Filius nasceretur ». (s. Hieron).

2. Pars.— *Hanc justitiam excellentem satis in ss. Paginis signavit Spiritus sanctus.*

1° *Fidem* et *obedientiam* signavit referendo promptitudinem et alacritatem, quibus Josephus statim omni divino mandato paruit : *Exsurgens Joseph a somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini.* (Matth., I, 24.) — *Qui, consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte et secessit in Ægyptum.* » — Ubi Chrysostomus non potest ab admiratione temperare (*Hom. 5 in Matt.*). — Et cætera loca satis nota.

2° Ibidem *Spes* signatur et animi fortitudo : nocte, de repente surgendum, proficiscendum cum pretiosissimis thesauris. Ignorat qua pergendum via, quanto tempore in Ægypto commoran-

dum, quibus mediis poterit « Puero et matri ejus » subvenire : erecta tamen in Deum spe, omnibus periculis et incommodis, quæ sane suspicatur, et eo graviora quod agitur de Jesu et Maria, se exponit nihil hæsitans et intrepidus.

3º Hinc etiam manifestum fit exercitium *caritatis* heroïcæ, quæ vel vitam, pro Deo et proximo, parata est profundere. Sicut fuit vita Josephi continuum Latriæ cultus exercitium, ita et caritatis summæ testimonium.

4º De *justitia* et *temperantia* licet nihil nos explicite revelatio doceat, nisi quod Josephus fuerit justus, certo certius in revelatis satis continentur.

5º *Prudentia* elucet, tum in dubio, quo fuit oppressus, tum in ducendo et reducendo ss. Familiam.

6º Aliam considerationem addidero : Virtutem religionis, quæ theologicis virtutibus fundatur ac etiam moralibus exercetur, gradu summo exercuit Josephus.

Pietatem filialem erga Deum habuit, sed simul et paternam. Contemplatione et actione constat virtus Religionis.

A) Comtemplatio Josephi non modo summa fuit, sed qualis in alio nullo potuit esse. *Hæc est* enim *vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti, Jesum Christum.* (Joan., xvii, 3.) Josephus Deum sine intermissione videt, Deum brachiis gestat, cum Deo orat, patitur, laborat... « Tu vivens, superis par, frueris Deo, — *Mira sorte beatior.* » Visio fuit Dei beatifica oculis paternis.

Supra, cum Benedicto XIV et Leone XIII, ostendimus s. Josephum in ordine Patriarcharum primam sibi sedem vindicare ; heic cum eodem Benedicto possumus ostendere, primam pariter obtinere in ordine Prophetarum.

« Quod vero dici possit etiam Propheta desumitur ex c. I, v. 20 Evangelii s. Matthæi : *Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini*, etc... Ideoque ad rem subjicit Isolanus : Enimvero Prophetarum tres sunt proprietates, superior illuminatio... Scripturarum interpretatio, occultorum propalatio... Joseph vero lumine angelico illustrante, clarius supremum cognovit mysterium Filii, quod omnium pariter est Prophetarum finis ; quo cognito, Sacrarum Litterarum sensus abditissimos intellexit

profundissime ; sategitque ut ipsum mysterium, opportuno tempore, toti manifestaretur orbi, eumdem Filium educando. Pluribus prosequitur Perez in sua Lapidicina sacra. »

Hæc referens adprobat Benedictus XIV. — Porro ex verbis recitatis facile patet Josephum, nedum Prophetam fuisse, sed et Prophetarum summum. Nam triplex Prophetæ proprietas est : illuminatio superna, Scripturarum interpretatio, propalatio occultorum : in qualibet excelluit Josephus.

Et primum *superna illuminatio*. « Vir iste Joseph, ait Bernardus, secundum cor Dei, cui tuto commisit secretissimum atque sacratissimum cordis arcanum, et dedit illi non ignarum esse mysterii, quod multi reges et Prophetæ, quum vellent videre, non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre et audire, sed etiam portare et deducere, amplecti, deosculari et custodire et enutrire. » (H. 2. *Missus*). — Ex quibus præclarissimis dictis, plane s. Evangelio fundatis, patet Josephum supernam habuisse illuminationem, non modo vividissimam, ac ipsi soli cum B. Virgine propriam, sed etiam cui experientia quædam sublimissima, per annos multos, continua accessit.

Adde, sis, supernas illas quotidianas coruscationes, quas divinas patiebatur, Humanatum Deum contemplans ejusque colloquiis tenerrimis perfruens. Non Angelus modo eum cœlestia edocebat, sed Deus ipsissimus divina. Quis, quæso, tot humanæ Dei vitæ mysteria, aut pari titulo, agnovit ; innumera quum fuerint, quæ Mariæ tantum ac Josepho mirabili luce micuerunt ? Ex omnibus igitur Prophetis, queis ad Incarnatum Verbum videndum cœlitus lumen affulsit, Josephus perfectiore et altiore ratione divino fuit splendore irradiatus.

Sed et *Scripturarum interpretatio* gradu summo data est Josepho. Excellens Scripturarum scopus et objectum princeps fuit incomprehensibilem Dei Incarnationem prænuntiare, describere ac confirmare ; quumque res quælibet ex nomine, si aptum sit, diffiniatur, ideo nomine plurimo, ob immensam subjecti perfectionem, Prophetæ Humanatum Deum præsignarunt. *Vocabitur nomen ejus Emmanuel... Nomen ejus Admirabilis, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Vocabitur nomen ejus, Accelera spolia detrahere, Festina prædare...* Jamvero Jose-

phus nomina illa adeo cognovit et magnifice interpretatus est, ut unico nomine omnium propriissimo, et quidem authentice, eadem ad vivum expresserit. Haud secus ac Adamo perfecta fuit rerum data cognitio, quibus aptum imponeret nomen : *omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus* (Gen. II, 19), ita, et excellentiore luce, Josepho Verbi Incarnati data fuit cognitio, ut Illi nomen imponeret, ejus proprietates omnes et omnes excellentias complectens, et ipsum est nomen ejus, Jesus.

Joannes Deum-Hominem magno nomine appellavit : *Ecce Agnus Dei*, sed jam Josephus et hunc et alios titulos nomine *Jesu* fuerat intepretatus : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* (MATT. I, 21.)

Ex his sequitur Josepho competere excellenti ratione « *occultorum propalationem* », qui tertius est character Prophetæ. Propalavit quippe cœlis, terris, inferis, Salvatorem, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.* Tradidit Apostolis hoc nomen, quaquaversus disseminandum : *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Hoc nomen Josephus introduxit in mundum, non prophetali tantum, sed paterna auctoritate, unam veluti personam cum Æterno Patre referens.

Prætera, sicut custos, ita *testis* fuit virginitatis Mariæ, accipiens Mariam conjugem suam » (MATT., I, 24).

Insuper occulta et divina propalavit Josephus, non solum toti mundo, sed et Mariæ et ipsi Jesu experimentaliter. Per Josephum certiores facti sunt Jesus et Maria voluntatis divinæ.

Videns igitur fuit omnium *Videntium* sublimissimus. Nec obstat quod Christus Joannem dixerit omnium Prophetarum majorem, quum id relate ad Prophetas Veteris Testamenti accipi debeat ; Apostoli enim et ipsi fuerunt prophetæ Novi Testamenti, quibus, ut docet s. Thomas, revelatæ sunt veritates longe plures quam Joanni, quas propalaverunt non Judææ tantum, sed toti mundo. Josephus autem « neque ad Vetus, neque proprie ad Novum Testamentum pertinuit, sed ad utriusque Auctorem ». (Suar). — Præterea loquitur Christus de iis qui fuerunt prophetæ juxta ordinem et existimationem communem : Maria, quæ certe pro-

phetiæ dono maxime claruit, minor non est quam Joannes Baptista ; immo ipsa donum prophetiæ Joanni detulit.

B) *Actio*. Josephus ergo altissima contemplatione donatus est; sed minor non fuit perfectione ejus *actio*.

Actio, prout refertur ad virtutem Religionis, spectat Deum et proximum ; ad gloriam Dei tendit et ad salutem proximi.

1°) prout tendit ad *gloriam Dei*, sese exerit potissimum sacrificio et martyrio.

Sacrificium Josephus non obtulit formaliter in ara crucis ; sed ipse concurrit ad nativitatem victimæ, ipsam præparavit et enutrivit ac servavit, in ordine ad sacrificium, quod, una oblatione, omnia sacrificia consummavit.

Martyrium Josephus non subiit formaliter, sed, si Ecclesia quosdam sanctos, qui suam de facto non fuderunt vitam, ut martyres tamen colit, ob solas passiones, quibus pro Christo subjecti sunt, nonne potest Beato Josepho eadem regula, et meliori ratione, aptari ? — *a*) Quid Ægyptum petens cum Christo et pro Christo passus est ? ea tamen differentia, quod Martyres, de quibus est sermo, pondus sui solum exsilii portarunt, Josephus autem et sui et Jesu et Mariæ. O certe duplo ac triplo ac sexcenties majora incommoda fuisset amplexus, ut Jesu et Mariæ exsilium avertisset, aut efficaciore solatio levasset. Quemadmodum Maria, juxta crucem, incomparabiliter magis passa est, quam si loco Filii fuisset ipsa cruci affixa, ita Josephus, pro sua erga Jesum et Mariam caritate, longe magis passus est quam omnes unquam exsules, et quidem pro Christo et cum Christo immediate. — *b*) Sed quid loquor de exsilio ? Nonne iste puer divinissimus, a primo suæ conceptionis instante, Josepho fuit ærumnarum occasio et omnis generis laborum ac dolorum origo ? — *c*) Addé, si tota vita Christi crux fuit et martyrium, annon triginta fere per annos Josephus adstitit cruci Christi Jesu ? annon ei patienti socius fuit ? quæ compassio in humiliatione et laboribus Nazarethi ? « O quam particeps fuit gloriosus Joseph calicis passionis Jesu Christi, obsequiis quæ præstitit sacræ Humanitati ! » ita s. Maria Magdalena de Pazzis ab extasi revocata, in qua gloriam Josephi datum fuerat contemplari. Ex quo eruitur alia consideratio. Caritatem quidem Christo probarunt Martyres

qua major probari non potest ; verum ipsi nihil Christo, præter gloriam maximam, contulerunt. Josephus Christi passionis particeps fuit, ita quidem, ut, propria sua passione, passionem Christi minueret ac levaret. Hic martyrii character, soli Josepho ac Mariæ competit.

2° *Actio*, prout tendit *ad bonum proximi*. Supra jam ostendimus ministerium s. Josephi reponi etiam in ordine gratiæ : « Deus dedit eum ministrum esse salutis ». Quidquid fecit Josephus pro Christo — ac nihil est quod non fecerit — ad bonum proximi fecit.

Ergo etiam virtutem religionis Josephus summa perfectione exercuit ; præterquam quod, uti monuimus, omnes ejus actiones erant cultus latriæ purissimus, atque charitate fervidissimus.

THESIS VIGESIMA

Sanctitas Josephi mirifice crevit exemplis Jesu et Mariæ.

Declaratio. Quanquam in præcedenti thesi satis ostendimus Beatum Josephum fuisse altissimæ contemplationis dono insignitum, incongruum forte non erit hæc eadem considerare sub ratione *exempli* dati et recepti. Dicimus porro exemplum Jesu et Mariæ Josephum potuisse ad summam sanctitatem evehere.

Demonstratio. Exemplum quantæ sit virtutis ad bonum et ad malum satis ss. Litteræ, Patres, experientia, proclamant. Exemplum vero in ratione agendi extrinseca proprie fundatur ; largiore acceptione, conversationem omnem complectitur, et hortationes et consilia, quibus ab alio aliquis ad operandum bene vel male excitetur. Jam quid exempli, sub hac utraque ratione, Josepho indesinenter propositum est, quamdiu Gloria et Divitiæ in domo ejus permanserunt ?

Rationem agendi tota die mirabatur dilectissimæ Sponsæ, in qua non modo ne umbra quidem fuit peccati, sed in qua splendidissima luce refulgebat omnium virtutum infinita pene perfectio ; rationem agendi ipsius Dei, quem altissima fide huma-

natum sciebat, ut omnes homines facerent secundum exemplar, quod illis tamdiu in Nazareth monstratum est. Quæ Jesu et Mariæ rectissima in omnibus mensura ! quæ patientia, quæ humilitas, quæ obedientia, quæ charitas !

Sed et beatissimi Viri conversatio, nonne in cœlis altissimis ? Beata Virgo quid de plenitudine thesauri sui profundebat ? quæ consilia, quæ hortationes, ut ambo tanti mysterii conscii ac cooperatores ss. Trinitati tribuerent grates, et divinissimo Infanti, curis, amore immenso, se totos manciparent !

Quid vero conversatio cum Verbo Dei, cum Sapientia Incarnata, quæ, non ad doctos, sed ad sanctos faciendos venerat. Conversatio, non cœlestis modo, sed plane divina. Elanguens cor discipulorum incendebatur, ex sola Jesu, quem ignorabant, præsentia : quid cor Josephi ardentissimum, dum Jesu consilia et hortationes audiret, quem certissima fide sciebat Deum suum suumque Filium ? Si vita æterna hæc est ut cognoscant Patrem et quem misit Jesum Christum, nonne videtur Josephus plenius illam participasse, cui tamdiu datum est sensibus et animo hanc cognitionem haustu largo ebibere ? Bibebat de petra, non consequente eum, sed ei adhærente ; petra autem erat Christus (I *Cor.*, x, 4). Non *hauriebat* de fontibus Salvatoris in gaudio (*Is.*, xii, 2), sed iisdem immergebatur, puritate ac charitate inebrians sese. *Tu vivens, Superis par, frueris Deo, Mira sorte beatior.* « Imprimebat ei Christus, ait Senensis, ineffabiles sensus atque jucunditates de semetipso » (s. de s. Jos.).

Docent gravissimi Theologi, inquit Suarez (d. 2, s. 2, n. 4), talem fuisse Virginis pulchritudinem, ut eam intuentes nonnisi ad castitatem et pudicitiam excitaret. Ita D. Thomas, qui merito adjungit hunc fuisse singularis gratiæ effectum. Quod videtur prius docuisse Ambrosius : « Tanta erat ejus gratia ut non solum in se virginitatem servaret, sed etiam, si quos inviseret, integritatis insigne conferret. » Ita s. Bonaventura, Gabriel. »

Idem profecto ex aliis Mariæ dotibus relucebat splendor : sed quid ex virtutibus Verbi Incarnati ! Fac igitur intelligas quid exempli Josepho obvenerit, ex diuturno, constanti ac intimo cum Incarnato Deo ac Deipara consortio.

Aliunde fuit perfectissime dispositus, utpote justus, ad boni,

vel etiam divini exempli influxum recipiendum ; particula boni doni ipsum non præterivit. Ergo vel hoc solo specialissimo cum Deo commercio, suspicari omnino licet ad summam eum evectum fuisse sanctitatem.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens et decorus aspectu (*Gen.*, XLII, 22). Deus quippe mediorum sanctitatis excellentium prodigus non est nisi illi, quem revera futurum decrevit sanctissimum. Divina namque sapientia, quæ omnia suaviter fortiterque disponit et cuncta regit numero, pondere ac mensura, ita fini aptat media, ut ex cognitione finis certo media conjicere possimus, et ex mediorum excellentia altitudinem finis judicare valeamus. Igitur, quum media excellentissima sanctitatis ac prorsus singularia Josepho providerit, eumdem videtur voluisse ad sanctitatem evehere eminentem prorsusque singularem.

Confirmari id forte posset ex illo principio, alibi Theologis accepto, quod decuit plane ut omnis Christi Redemptoris virtus exercitium ac effectum sortiretur. Virtus igitur, qua solo suo exemplo (sensu dicto) potuit Christus ad sublimissimam omnium perfectionem aliquem trahere, exercitium et effectum totum videtur consequuta : quod si accidit aliquando, satis intelligitur in Maria certe, necnon et in Josepho, locum habuisse. Eo vel magis quod Magister virtutis, Incarnatus Deus, Mariam et Josephum sub eadem omnino disciplina admiserit.

THESIS VIGESIMA PRIMA

Sanctitas Beati Josephi duplici S. Thomæ argumento demonstratur.

PRIMUM ARGUMENTUM

« Illos quos Deus eligit ad aliquod munus ita præparat ac disponit, ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei, secundum illud(ad Cor) : *Idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.* Beata autem Virgo Maria fuit electa divinitus ut esset Mater Dei, et ideo non est dubitandum, quin Deus per gratiam suam eam ad hoc idoneam reddidit. » (S. THOM. 3, q. 27, a. 4. c.)

Hic est discursus Angelici, qui, pro sua mirabili modestia, raro sic pronuntiat de re aliqua non esse dubitandum. Jamvero discursus ille idem cur Beato Josepho non esset aptandus? Quod principium attinet, videtur certum. Sed neque negari posse videtur Beatum nostrum ad munus electum fuisse omnium principale, ad dignitatem quæ potiorem aut æqualem non patitur, divina duntaxat Maternitate excepta, ut satis ex prima parte fit exploratum.

Revelavit Spiritus Sanctus Beatam Virginem fuisse gratia plenam. Hanc porro plenitudinem, omni exceptione majorem, Patres ac Doctores hoc firmissimo argumento demonstrant, nimirum quod plenitudinem hcic Spiritus Sanctus dixerit, illam quæ deceret Matrem Dei. Pervolvantur innumera quæ de gloriosissima Virgine conscripserunt, passim, sub sexcentis formis, hæc absolute ratio, hoc prorsus redit argumentum. D. Thomas hunc totius traditionis sensum breviter, more suo, colligit, suaque auctoritate firmat:

« Gratiæ Virginis, ait Petavius (de Inc. l. 14, c. 8, n. 6.), ac virtutum infinitam opulentiam veteres Patres exquisitis præconiis exornarunt, eo potissimum argumento freti, quod esse primarium ac solidissimum fundamentum dixi omnium, quæ ad ejus commendationem oratione declarari vel cogitatione concipi possunt, quod Mater Dei facta sit : *quo uno titulo omnia continentur* : Hujus porro vim rationis ac pondus, non oratorio more sed ad theologicam normam limato et subtili judicio expendens s. Thomas, ita disputat : *Illos quos Deus eligit*, etc. »

Sic de Josepho ratiocinandum videtur. Revelavit Spiritus Sanctus eum fuisse *justum*, sed ea justitia, quæ dignitati ac muneri responderet ; dignitas vero illa, illudque munus, aliis omnibus videntur excellere ; ergo non videtur « dubitandum quin eum Deus ad hoc idoneum reddidit per gratiam utique excellentem ».

Hæc argumentatio, quam passim recitant, quin, forte, satis percipiant, eo quod pietati fovendæ studeant magis quam theologicæ conclusioni statuendæ, meo quidem judicio, juxta Theotogorum in aliis materiis procedendi modum, rem nostram penilus demonstrat. Quod ut apud omnes assequatur, auctoritatem

iterum Angelici, deinde Suarezii, ac tandem ipsius Ecclesiæ, subjungam.

Sic igitur Aquinas (sup. *Roman.* c. 8, lect. 8) : « Dicendum quod charitas hominis non est a seipso, sed ex gratia Dei; quæ datur unicuique *secundum mensuram donationis Christi* (*Eph.*, IV, 7,) Unicuique autem dat gratiam proportionatam ei ad quod eligitur, sicut Homini-Christo data est excellentissima gratia, quia ad hoc electus, ut ejus natura in unitate Personæ divinæ assumeretur ; et post eum habuit maximam plenitudinem gratiæ Beata Maria, quæ ad hoc electa est, ut esset mater Christi. Inter cæteros autem ad majorem dignitatem sunt electi Apostoli, ut, immediate ab ipso Christo accipientes, aliis traderent ea quæ pertinent ad salutem. »

Tria laudatis verbis s. Doctor, ut certa, videtur asserere. — 1° Datur lex Dei ordinaria supernaturalis gratiam conferendi proportionatam muneri ad quod eligitur quispiam. Scilicet, quum Deus ad munus quoddam aliquem eligit ipse immediate, vultque electum illum perfectissime tali munere fungi, maxime si munus sit specialissimum et sublime prorsus, ac adhuc magis quum munus istud ipse immediate instituit, tunc abs dubio, gratiam confert muneri aptissime obeundo æqualem ; adeo ut excellentiam muneris nosse idem omnino sit ac de gratiæ excellentia fieri certiorem. Hoc utique sapientia dictat, neque minus inter homines provideretur, si sapientiæ potentia ex æquo subserviret. — 2° Lex illa eo magis locum habet, quo munus seu dignitas propius ad divinam Personam accedit. — Sed 3° eadem lex tunc etiam potissimum servatur, quum immediate alicui committuntur ea quæ pertinent ad salutem, ut ab ipso aliis communicentur.

Age nunc, Deum ipsum aliquod munus instituisse, supra ordinem totius naturæ creatæ, prorsus singulare ac singularissimum, paternitatem scilicet Verbi Incarnati, adque illud elegisse Josephum, nemo unus inficiabitur. Sed sane voluit Deus munus illud omni perfectione compleri, prout exposcebat ejus objectum. Aliunde, post maternitatem divinam, nullum fuit creaturæ constitutum munus, quod propius, ac intimius per se, titulis scilicet in ordine morali strictioribus, ad divinam Personam,

seu potius ad divinas Personas, ordinaretur. Et tandem Deus Josepho immediate commisit, non gratiam præcise, sed ipsum gratiæ fontem, i. e., salutis Auctorem, ut eum toti mundo, quoad famam, quoad vitam, custodiret, enutriret, dirigeret : adeoque Josepho eminentiore quadam ratione « immediate tradidit, ut aliis communicaret, ea omnia quæ pertinent ad salutem. »

Nec Apostolus, nec Joannes Baptista, sed neque Angelus, ordinati sunt ad Verbum Incarnatum in fieri vel in facto esse ; nullus ordinatus est ad Personam Patris vel Spiritus Sancti repræsentandam.

Et Suarezium audiamus. Inquirit (d. 1, s. 2) an dignitas Matris Dei præstet dignitati filii adoptivi. Respondet non præstare, si sumatur præscindendo a dignitate Filii : ratio in aperto est, quia quod hanc maternitatem quasi informat et dignificat, nimirum Deus ipse uti Filius, jam ab ea separatur. At vero, si accipiatur Maternitas, uti est *divina*, seu ad Personam Dei terminata, « vix hæc duo possunt comparari ; sunt enim diversorum ordinum, et mutuo sese quodammodo excedunt ». Si tamen aliquis velit comparationem instituere, ita ut Maternitas Dei absque gratia concipiatur, omnino præstat dignitas filii Dei adoptivi. Quo extra controversiam posito, sic concludit eximius Theologus : « Dignitas Matris Dei moraliter considerata, et prout includit omnia quæ quodammodo *ex natura rei et secundum ordinem divinæ sapientiæ illi debentur*, altior est dignitate filii adoptivi». Et statim rationem subdit : « *Quia dona gratiæ, quamvis in se perfectissima, dantur tamen a Deo ut perfectiones necessariæ ad excercenda munera quæ ad Deum pertinent, et tunc maxime illa Deus confert, quando ipsemet aliquem hominem in tali munere vel dignitate constituit ; hac enim ratione Joanni Baptistæ tot gratiæ privilegia contulit propter munus Præcursoris, et Apostoli, propter similem rationem abundantiam gratiæ acceperunt.* » — Et istud totum sic confirmat : « *Ex hac dignitate Matris colligunt omnes Patres* Beatam Virginem, non solum excellentem gratiam accepisse, sed etiam omnes gratias et virtutes et omnia dona et privilegia gratiæ inter alios Sanctos divisa ac distributa in una Virgine fuisse simul congregata ».

Et demum sic absolvit : « Comparatur ergo hæc dignitas Matris Dei ad alias gratias creatas, tanquam prima forma ad suas proprietates. Est ergo hæc dignitas Matris Dei excellentior sicut forma perfectior est suis proprietatibus et dispositionibus. Alias non ex minori dignitate colligerent Sancti aliam multo majorem et excellentiorem gratiam. Ergo simpliciter majus Dei beneficium existimari debet, eligi Virginem in Matrem Dei, quam eligi v. gr., Petrum ad gloriam, quia illa electio hanc in virtute continet et eminentiori modo ».

Hæc gravissima verba, quæ ex toto juvabat exscribere, tum quia D. Thomæ verbis plane consonant, tum etiam quia communem videntur referre totius Ecclesiæ sensum indubitatamque sententiam, si quis velit attendere, haud ægre poterit ipse Beatum Josephum electum ad sublissimum omnium munus Sponsi Dei Genitricis et Patris Verbi Incarnati, sublimissima simul gratia donatum pronuntiare.

Confirmantur isthæc omnia præclarissimis dictis s. Bernardini: « Omnium singularium gratiarum alicui rationabili creaturæ communicatarum regula generalis est, quod quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet, quæ illi personæ sic electæ et ejus officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant. Quod maxime verificatum est in sancto Joseph, qui ab Æterno Patre electus est fidelis nutritius atque custos principalium thesaurorum suorum, scilicet Filii ejus et sponsæ suæ » (de s. Jos).

Quibus verbis aperte declaratur illud idem argumentationis nostræ principium, quod ex Patribus et eximiis Theologis mutuati sumus.

At vero heic, præter auctoritatem non spernendam sane Senensis, alia longe major accedere videtur, videlicet ipsius Ecclesiæ auctoritas. Enimvero illud idem encomium s. Josephi, ipso Patrocinii festo die, sibi assumit Ecclesia, adprobat, jubetque ab omnibus suis in Breviario recitari.

Habetur ergo certa hujus argumentationis nostræ propositio *major* : « Non est dubitandum quin Deus per gratiam suam idoneos faciat quos ad aliquod munus ipsemet eligit immediate » ;

et ita quidem ut, crescente munere, crescat pariter gratiæ plenitudo ; secus enim maneret revera aliquis idoneitate quadam deficiens. Sed neque neganda videtur, ex superius declaratis, propositio *minor* : Beatus Josephus ad munus fuit electus supra uodvis aliud creatum munus, nimirum ad unionem specialissimam, quam intimam et prorsus singularem cum divina Persona. Quare haud illegitime concludi potest, eumdem Josephum gratiæ plenitudinem supra omnes obtinuisse,

Et hanc collectionem nostram bene videtur innuisse, aut melius confirmasse, Pius immortalis memoriæ Pp. IX : « Inclytum Patriarcham B. Joseph, quem Deus Omnipotens *præ omnibus Sanctis suis* purissimum verumque sponsum esse voluit in terris Immaculatæ Virginis Mariæ, ac putativum Unigeniti sui patrem, quemque *ad tam sublimissima munera fidelissime implenda* gratiis prorsus *singularibus auxit et abunde cumulavit* merito Catholica Ecclesia gloria et honore in cœlis coronatum amplissimo prosequitur cultu atque intimo veneratur pietatis affectu (Brev. de Patr. s. Joseph. 7 jul. 1871).

Idem ibi affirmatur principium : Electus Josephus ad munus omnium singulare, singularibus pariter gratiis fuit auctus et abunde cumulatus : ast eo magis quod non putativus modo pater exstitit, sed, docentibus Patribus ac Theologis, ratione alia multo sublimiore.

Tandem roboratur hæc eadem argumentatio verbis Apostoli, ad Hæbræos c. I, vv. 4, 5, 7 : *Tanto melior Angelis effectus* (Jesus-Christus), *quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum : Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in Filium ?... Et ad Angelos quidem dicit : Qui facit Angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis.* — Nisi fallor ego, vim nullam aut nullum sensum refert hic processus, nisi Paulus principium habeat inconcussum : aliquid eo melius effici a Deo, quo perfectius obtinet nomen. Sed hoc est plane principium a nobis assumptum. Et, quod applicationem attinet : Cui, quæso, Angelorum dixit Deus : Pater meus es tu ? et rursum : Ego tibi sum in Filium et tu mihi in patrem ? Cui angelorum subditum se voluit, aut cujus se statuit esse ministrum ?

Confirmatur ratione quadam *theologica* magni momenti et magni ponderis.

Quum Deus alicui dignitatem confert, vult profecto eumdem honorare, eoque magis quo major dignitas est. Porro, si gratia seu sanctitas non respondeat dignitati collatæ, hæc ipsa dignitas, nedem cedat in honorem, in maximum cedit dedecus et detrimentum. Etenim, licet tituli, quibus aliquis insignitur, illum vere *dignificent*, non eum tamen meliorem moraliter, multoque minus supernaturaliter, efficiunt. Unde, si *qualitates* morales ac supernaturales — gratia et sanctitas — non respondeant titulis supernaturalibus, ille qui *titulos* habet, nedum laudabilis, immo contemptibilis evadit, quia non satisfacit moraliter *debito* suæ dignitatis. Nullus est homo ratione utens, qui hoc non perspiciat ; sed maxime verum est coram Deo « apud quem, ait Hilarius, sola nobilitas (dignitas) est clarum esse virtutibus ».

Ostendimus, ac Leo XIII id plane confirmavit, s. Josephum obtinuisse dignitatem, tam absolute quam relative, eminentem : Quid porro illi profuit, si sanctitate sua æqualis non est dignitati ? Nonne posset aliquatenus sic Deum deprecari : O bone Deus, minus, obsecro dignitatis ; sed multo magis sanctitatis, qua tibi gratior, fidelior, amicior esse queam !

Alterum s. Thomæ argumentum.

« Quanto aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Christus autem est principium gratiæ, secundum divinam naturam auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter, juxta illud : *Gratia et veritas per Jesum Christum*. Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit, secundum humanitatem, qui ex ea accepit humanam naturam. Et ideo, præ cæteris debuit a Christo gratiæ plenitudinem obtinere ». (*3, q. 27, a. 5.*)

Idem s. Laurentius Just., et sane alii Doctores : « Tanto dignitate (utique sanctitatis) cæteris effecta est Maria excellentior, quanto propinquior erat Verbo ».

Jam quis non videt D. Thomam et alios Doctores firmissimum

heic tradidisse fundamentum gratiæ, quam Josephus, « præ cæteris, majorem debuit obtinere » ?

Principium prolatum usurpatur ab Angelico, uti certum ac generale, « in quolibet genere ». Quod applicationem spectat, sic sufficit, pro subjecta, materia aptare : « Beatus Josephus propinquissimus fuit Christo, post Mariam, ac per Mariam ; ergo majorem debuit a Christo gratiæ plenitudinem obtinere ».

Quod vero fuerit Beatus Josephus Christo, secundum humanitatem, omnium propinquissimus, satis prima parte indicavimus, et ex eo solo affulget, quod totus ad divinam humanitatem immediate referebatur, omni patris officio ac jure. Numquid omnes *tituli* supra enumerati, quorum singuli specialem ac soli Josepho propriam cum Christo propinquitatem testantur, simul sumpti non declarabunt eumdem s. Josephum Christo secundum humanam naturam fuisse propinquissimum?

Confirmari id posset duplici theologica ratione, quam adfert Suarezius ad plenitudinem gratiae in Maria comprobandam. *Primo*, quia, inquit, sicut sacrosanctæ Humanitati debebatur ratione unionis cum Verbo omnimoda gratiæ plenitudo, sic Dei Genitrici, propter specialissimam cum eodem Verbo unionem, et gratiæ plenitudo specialissima debebatur. Nimirum necessitas gratiæ, quæ hypostaticam consequitur unionem, extenditur ad id omne, quod illam immediata relatione contingit, atque id secum per modum unius comprehendit. Ita regem necessario regius honor comitatur, qui tamen et regiæ familiæ membra convolvit, utpote ipsius sunt regis ampliatio.

Aliis verbis, Beatus Josephus, solus cum Bma Deipara, gratiam ordinis unionis hypostaticæ participavit. — *Secundo*, « ratione maternæ dignitatis, Maria singulare jus habet ad bona Filii ». Quidni Josephus, ratione paternitatis, jus singulare ad eadem bona obtineret ? Sane, eoque magis quod ipse erga Filium omnia patris officia, vel durissima suscepit. Quum filii jura habuerit reapse Christus ad bona Josephi eadem ac si fuisset ex eo naturaliter genitus, eccur jura Josephi ad bona Christi penitus negarentur ?

Adde, Jesus omnia bona sua communicavit cum Maria ; sed Maria eadem cum sponso suo communicavit. Hoc autem melius in sequenti thesi.

THESIS VIGESIMA SECUNDA

Sanctitas omnium summa venit Josepho pariter cum Maria.

Declaratio. — « Josephus fuit vir Mariæ, ait Leo XIII, et, ut putabatur, Jesu Christi pater. Hinc omnis ejus dignitas, *gratia*, *sanctitas*, *gloria*, profectæ. » — Eadem igitur ratione loquitur Pontifex de gratia, sanctitate, gloria, ac de dignitate : unicus enim omnium fons et mensura. Porro de dignitate sic pronuntiat : « Sed tamen, quia intercessit Josepho cum Virgine beatissima maritale vinculum, ad illam præstantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, *non est dubium* quin accesserit ipse ut nemo magis. »

Revera quid profuisset Josepho dignitate accessisse Mariæ supra omnes, si supra omnes, gratia, sanctitate, gloria non accessisset ?

Summatim Summus Pontifex unam rationem affert, cur Josephus dignitate — gratia, sanctitate, gloria — Mariæ fuerit omnium propinquissimus ; decem nos rationibus hoc idem comprobabimus.

Ratio prima. *Natura et exigentia matrimonii.*

Matrimonium, utpote « societas omnium maxima » et perfectissima omnium amicitia, exigit per se maximam æqualitem ac similitudinem : ideoque a principio Deus Adæ fecit adjutorium simile illi. Hæc porro æqualitas, in bonis fortunæ, aut etiam in nobilitate sanguinis potest consistere, sed maxime debet virtutibus fundari. Ergo si matrimonium Virginis cum Josepho fuerit perfectum — de hoc quis ambigere possit ? — debuit omnis æqualitas et similitudo possibilis inter sponsos inveniri.

Dices : matrimonium, utpote contractus ordinis naturalis, non exigit æqualitalem et similitudinem in donis et virtutibus ordinis supernaturalis.

Respondeo. 1° Etiam uti est contractus naturalis, matrimonium exigit per se quamdam æqualitatem et similitudinem in virtutibus, secus est impar ad *debitam* societatem et amicitiam

constituendam : fac mulierem sanctam nubere viro minus aut nihil pio, hæc mulier plurimum patietur et omnes dicent hoc matrimonium esse inæquale ac deficere.

Sed 2° Matrimonium Virginis cum Josepho absolute dici non potest perfectum duntaxat in ordine naturali : præterquam quod motivum hujus matrimonii attigit culmen ordinis supernaturalis, ut dicetur infra, relationes omnes sponsorum inter se debuerunt diu et continenter quam maxime esse supernaturales ; ergo debuit ipsum matrimonium esse quam maxime supernaturale.

3e Quis unquam dixerit matrimonium Mariæ fuisse sub aliqua ratione imperfectum ? ac sub ea præcise sub qua major imperfectio notaretur ?

Docent theologi esse dedecus omne a Bma Virgine removendum, ideoque tenent debitum fuisse ejus puritati ut Josephus in materia castitatis sine vel levissima labe persisteret. (Em. Mazzella de Grat. n. 350 annot.) Idem porro Virginis honor exigere videtur ut sponsus ejus sub omni alio respectu fuerit ei simillimus. Si dedecus quoddam agnoscunt theologi, licet extrinsecum et remotum, in eo quod Josephus fomitem vel levissime sensisset, nonne dedecus est, idemque aliquo pacto majus, in eo quod vir Mariæ omni virtutum genere ei non similetur ? Haud secus ac Christo dedecus fuisset, juxta omnes, si matrem elegisset, uti puritate, ita omni cœlesti dono sibi non simillimam. Scio equidem parem prorsus non subesse rationem at negari non potest, in utroque casu, aliquid resultare dedecoris, quod est omnino a Virgine, sicut a Christo, removendum.

Et sane quid potuit optare Beatissima Virgo, matrimonium ineundo et totos fere triginta per annos sustinendo ? Numquid satis illi poterat esse in votis æqualitas seu similitudo ordinis naturalis ?

Quare Bustos (in Matt. 1) concludit : « In hoc matrimonio facta est omnis similitudo possibilis inter sponsos ». Res adeo est evidens ut vanum sit citationes congerere. Sit una, ex Senensi, pro omnibus.

Sic Bernardinus : « Cum inter Mariam et Josephum fuerit verissimum matrimonium, per divinam inspirationem contra-

ctum, et in matrimonio fiat unio animorum, in tantum quod una dicuntur persona sponsus et sponsa, ut possit dici unitas quasi summa : quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus Sanctus tanta unione uniret *menti* tantæ Virginis *aliquam animam*, nisi ei virtutum operatione simillimam ? » (S. de s. Jos.)

Ratio secunda. *Auctor hujus matrimonii.*

Ex supra dictis matrimonium illud solum Deum habuit auctorem, tum ut contraheretur, tum ut inter hujusmodi sponsos. Jamvero impossibile videtur fuisse imperfectum sub aliqua ratione quod Deus ipse instituit. Ergo debuit esse hoc matrimonium perfectum, sub ea potissimum ratione, quæ maxime sponsorum intererat et sola Deo placebat.

Si matrimonium Virginis non habuisset Deum ipsum solum auctorem, natura tamen matrimonii æqualitatem et similitudinem sanctitatis exegisset : quanto magis, quum Deus ipse solus illud decrevit et constituit !

Ratio tertia. *Persona quæ Josepho tradebatur Sponsa.*

Certissimum apud omnes gloriossimam Virginem, pro sua cum Deo conjunctione, fuisse donis cumulatam. Tanto eam Deus Pater circundedit honore, quantum decebat Filii sui matrem ; Filius matrem suam prævenit amore ineffabili ; Spiritus Sanctus adeo eam larga superimplevit plenitudine, ut id a creatura concipi nunquam cogitando queat. Age vero inter hunc amorem tam illimitatum ss. Trinitatis, quis dubitare possit aut negare Immaculatæ electum fuisse sponsum — animæ dimidium suæ — cujus sanctitas (sola quippe apud Deum nobilitas est esse clarum virtutibus, *Hilar.*) sanctitatem talis sponsæ apprima imitaretur ?

Inter homines quis pater dilectam filiam sponso traderet conditionis inæqualis ? Quod sciunt facere homines, hoc Deus erga filiam, cujus conditio erat pene divina, aut noluisset aut non potuisset facere ?

Mulier bona, inquit, *dabitur viro pro factis bonis.* (Eccl. 25) Et mulieri incomparabiliter bonæ non dabitur vir incomparabiliter bonus ? Si unquam locum habuere hæc divina oracula, nonne imprimis, quum actum est de Matre Dei desponsanda ?

Sed quæ debuit esse Josephi sanctitas, quæ facta ejus bona, ut Regina cœli, Domina mundi, Mater Dei, Sponsa ei traderetur? De muliere bona viro danda cogitavit forte aliquando Deus majore sollicitudine, amore ac potentia ditiore, quam quum actum est de Virgine Maria?

Heic P. de Rhodes (t. 2, q. 5, s. 2 § 3) : « Primo ergo dignitas conjugum spectari ex eo potest, quod in iis sit summa nobilitas naturalis et supernaturalis, pulchritudo perfectissima, gratiarum opes, virtutum thesauri... Hæc quatuor In Maria et Joseph, (qui) primæ post Deum, inter puras creaturas, dignitatis locum tenent : Mariam dignatus est nuptiis suis Spiritus Sanctus ; Josephum sibi substituit... Gratiarum plenitudo dotem utriusque supplet. Virtutes Mariæ ac Joseph superant omnem mensuram et numerum. Habes ergo conjuges pulcherrimos, ditissimos, sanctissimos. » (De quo alio Angelo vel Sancto hæc dici possint, quin moveatur in Ecclesia admiratio aut etiam reprobatio!)

« Spiritus Sanctus amborum conjugalis amor », ait Rupertus. Additque Vega (t. 2, p. 246) « Singulare profecto elogium Mariani conjugii, cujus nexus idemmet Spiritus Sanctus est, qui in Sacra Triade Patris ac Filii nexus indivisibilis existit ».

Ratio quarta. *Motiva hujus matrimonii.*

Non modo motiva omnia fuerunt ordinis supernaturalis, sed ex eo ducta quod ordo supernaturale habet altissimum : *finis*, « ut Filius Dei in eo susciperetur et educaretur » ; *objectum*, ipsamet Dei providentia ordinis hypostatici connaturaliter exercenda ; *fructus*, Verbum Dei Incarnatum.

Jamvero matrimonio, cujus natura est ut in vertice ordinis supernaturalis constituatur, non potest non competere gratia etiam summa ordinis supernaturalis, disponens, concomitans, præmians.

Ergo, non modo natura matrimonii in genere exigebat Josephi sanctitatem quam maxime æqualem sanctitati Mariæ ; non modo id sibi aliquatenus debebat Auctor hujus matrimonii ; non modo inclinatione amoris specialissimi erga Mariam, ad id ferebatur Deus ; sed illud idem exposcebat natura matrimonii hujus, juxta motiva altissima, quæ in hoc decernendo Deus sibi proposuerat.

RATIO QUINTA. *Sponsus Matris Dei.*

Sicut gratia obvenit Mariæ, quia fuit Mater Dei, ita Josepho, quia sponsus fuit Matris Dei.

Non mulierem sibi desponsavit Josephus, sed Matrem Dei, quod adeo evidens est, ut, quatenus sponsus Mariæ, sollicitudinem, affectum, auctoritatem Dei Genitricis erga Filium Dei, participaverit. Igitur, si officia et jura Maternitatis divinæ sponsavit, cur gratiam ejusdem divinæ maternitatis non desponsaverit? cur societatem maximam cum Deipara non habuerit in gratia, sicut cum eadem Deipara habuit in omnibus ferendis oneribus maternitatis divinæ ?

RATIO SEXTA. *Sponsus Mariæ, ut fieret Mater Dei.*

Non modo Josephus Matrem Dei desponsavit, sed eamdem sibi desponsavit, ut fieret Mater Dei. Ultima dispositio prærequisita a Spiritu Sancto in Maria fuit matrimonium virgineum : « ut proles divina in eo susciperetur et educaretur » (s. THOM.) : « ut ex virginali conjugio Virgo Filius nasceretur » (s. Hieron) : « matrimonium Mariæ ad mysterium Incarnationis proxime ordinabatur » (Suar) ; « fuit virginitas Mariæ ad Filii generationem ordinata » (Suar). — Porro Josephus ad hanc ultimam dispositionem concurrit ; ergo concurrit ut Maria fieret apte, juxta ordinationem divinam, Mater Dei ; ergo etiam concurrit, licet extrinsece ad maternitatem divinam. Ergo participavit gratiam maternitatis divinæ.

RATIO SEPTIMA. *Amor Mariæ erga Josephum.*

Maria Josephum amavit, naturaliter ac supernaturaliter, supra omnem puram creaturam ; porro hic amor non potuit esse legitimus nisi revera fuerit Josephus supra omnem creaturam amabilis, ac proinde supra omnem creaturam sanctissimus.

Quod amor Mariæ erga Josephum debuerit esse *naturaliter* supra omnem alium amorem, patet ex lege matrimonii, quae jubet sponsos se invicem diligere sicut se diligunt Christus et Ecclesia (*Eph.*, v). Ex quo præterea patet hunc amorem, si sit omnino perfectus, debere etiam esse summum supernaturaliter.

Sed multis de motivis supernaturalibus Maria Josephum prædiligebat. *a*) Deus ipse, ineffabili providentia ipsum ei elege-

rat. *b*) Elegerat quatenus erat Mater Dei ad omnia onera maternitatis divinæ ferenda. *c*) Elegerat ut esset Mater Dei, scilicet ut ex matrimonio virgineo nasceretur Filius Dei. *d*) Proinde elegerat participem ac servatorem virginitatis fecundae : nihil porro inter sponsos fovet amorem sicut fructus matrimonii ; sed nemo scit amare sicut cor virgineum. *e*) Tandem Deus Mariæ elegerat sponsum ceu patrem Filii sui.

Aliunde Josephus Mariam amavit, non naturaliter tantum, sed maxime supernaturaliter, quantum Deipara potuit a sponso suo amari, i. e., in immensum supra omnem creaturam. Porro si quempiam amaverit Maria unquam supra Josephum, vices ei non reddidit, quanquam ei eodem vinculo sociaretur, ad eumdem finem ac eosdem labores.

RATIO OCTAVA. *Mariæ preces pro Josepho.*

Maria pro nullo unquam preces fudit sicut fudit pro Josepho et cum Josepho, ad Patrem, ad Filium, ad Spiritum Sanctum. Ad hoc ferebatur Maria tota inclinatione conjugii perfectissimi, in quo conjux uterque pro altero tenetur exorare tanquam pro sibi omnium magis proximo.

Deus, si Maria non exorasset, Josephum multis aliis de rationibus, sanctitate cumulasset : quid quum audiret preces, gemitibus inenarrabilibus, Sponsæ, quam unam supra universitatem creaturarum ipse prædiligebat !

RATIO NONA. *Gratus Mariæ animus.*

Non sponsæ tantum titulo tenebatur Bma Virgo ad orandum pro Sponso, sed toto suo ineffabiliter grato animo ad id ferebatur. Quæ beneficia recepit a Josepho ? Aut potius quæ beneficia ab ipso, tanquam a sponso dilectissimo, non receperit ! Numquid a pura creatura tot ac tanta ac tam continua recepit unquam ? Quæ igitur Immaculati cordis amantissimi gratitudo ? Sed maxime quis gratus animus pro beneficiis Jesu suo collatis ? Unigenitum suum videbat a Josepho caritate summa, nullis fracta laboribus, nutriri, foveri, custodiri, regi, intensissime amari : qui potuisset cor illud eo amantissimum quod purissimum, vices pro tot beneficiis non exhibere ? Sed quo meliore modo grates efficaciter rependisset, quam supplicatione ad Deum, ut dilectissimus vir cœlestibus in dies gratiis augere-

tur ? Deus autem has preces non potuit non audire, qui gratum hunc animum ipse juberet ac incenderet.

RATIO DECIMA. *Josephus in cœlis proximior Mariæ.*

Quis sibi facile persuadebit electum fuisse Virgini virum non futurum ei in cœlis proximiorem, cujus tanta familiaritate usa est in terris ?

« Quod turbata est (in Annuntiatione) verecundia fuit virginalis », ait Bernardus (*Hom.* 3). Et Damascenus : « Ita comparata eras, ut ad te nullius viri accessus pateret. » Etenim Josephus vir ejus, sed Angelus. Virgo turbatur in conspectu angeli sub forma viri, minime vero in conspectu viri sui, quia semper adest sub specie Angeli : ideoque summa inter Mariam et Josephum, intima et continua consuetudo, qualis, ut supra dictum est, inter puras creaturas nulla.

Sed vinculum istud arctissimum Deus ipse solus, specialissima providentia, praeordinavit, jussit ac strinxit.

Quid igitur ? separandum in cœlis Deus jubebit quod tam mirabili providentia et ita stricte voluit nectere in terris ! Fortassis aliquot tantum diebus voluit Deus Mariæ virum supra omnes creaturas propinquiorem esse, et quidem tunc tantum, quum illa conjunctio eidem viro non esset fere nisi causa ærumnarum ? Commutatis iis periculis, iisque necessitatibus, cum excelsissima gloria, Maria jam a sponso dissociabitur, aliamque creaturam, vel alias sibi magis intimas ac proximas consociabit !

Confirmatur 1° Inquirunt Theologi « utrum perseverent nunc in Christo et in Virgine relationes matris et filii, » respondentque perseverare : « quod attinet ad matris dignitatem morali modo consideratam, ait Suar. l. c., certissimum est eam perseverare in Deipara. » Idem prorsus videtur dicendum de relationibus Mariam inter et Josephum, quia relationes hæ fuerunt specialis ordinis et ab ipso Deo institutæ ; neque ulla datur ratio cur tum, quum possunt perfici ac præmiari, dissolvantur. Jamvero relationes illæ fuerunt propinquitatis quam intimæ et præ omni alia summæ.

Satis intelligitur quod non perseverent in cœlis relationes terrenæ, quæ motivis naturalibus ac temporalibus fundantur ;

relationes vero quæ fundantur motivis maxime omnium supernaturalibus, quales fuerunt Incarnatio in fieri et in facto esse, maternitas divina participanda et adjuvanda..., relationes, quæ omnino et exclusivæ tendunt ad bona supernaturalia hominibus procuranda et in cœlis consummanda... non possunt tempore coarctari ac veluti terrenæ abrumpi ; natura sua cœlestes maxime et unice sunt : in cœlis perficiantur oportet.

Confirmatur 2° Insuper videtur veluti complementum immensæ gloriæ quam Deus ab æterno Mariae disposuit, quod omnes cœlicolæ ejus sponsum speciali distinguant honore, fassi nihil gloriosius aut beatius esse quam Mariæ matrimonio fuisse sociatum, haud secus ac complementum gloriæ Christi est, quod omnes cœlorum chori proclament nihil beatius aut gloriosius fuisse, quam in ejus eligi matrem. Porro, si Virgini vir non eligeretur supra omnes illi proximior sanctitate et gloria, beatius quid et gloriosius daretur quam eligi in sponsum Matris Dei ac Reginæ cœlorum.

THESIS VIGESIMA TERTIA

Pater Verbi Incarnati, Josephus, non potest primus in cœlis, post Mariam, non consistere.

Declaratio. — Si jam ad Christum verterimus oculos eumdemque, per varia capita, processum instituerimus, in immensum crescit argumentum. Brevitatis causa tres tantum rationes subjiciemus.

Demonstratio. — Ratio prima. *Josephum dilexit Jesus supra omnem creaturam, adeoque gratiam ei, sicut alii nulli, communicavit.*

Omitto amorem Josephi erga Jesum. Ex supra dictis, Josephus Christum dilexit magis quam ulla creatura, scilicet ut filium pater. Hæc caritas omnium summa non potuit non præmiari gratia et gloria summa. Sed loquamur de sola Jesu dilectione erga Josephum.

Utique cum s. Thoma et ego arbitror de prædilectione divina nihil esse affirmandum, quod non revelavit Deus. At quis non videt Spiritum sanctum simul atque declaravit relationes Josephi cum Christo, reipsa signasse hominem hunc Verbo Incarnato, præ omni creatura, post Mariam, fuisse carissimum?

Quemadmodum Mariam, ex qua carnem et affectum erat aliquando suscepturus, Deus Verbum, docentibus Patribus, ab æterno non potuit amore ineffabili non prævenire, ita et haud dissimili ratione, non potuit ab æterno Josephum amore summo non complecti, sine cujus concursu nec congrue volebat hominem fieri, neque volebat, citra miraculum, humanam servare et degere vitam.

Sed esto quod ab æterno Josephus non fuerit supra omnes Angelos et Sanctos prædilectus, ob specialissimas futuras cum Verbo relationes, nonne declaravit Spiritus sanctus Christum erga Josephum filialem in terris gessisse animum? *Et erat subditus illis*, filii sane, non minus amore, quam reverentia; eo magis quod, teste sanctissima Matre, illum Josephus paterno prosequebatur affectu. Porro amor filii ordinatus ad parentes potius fertur, quam ad extraneum quemque, haud secus ac amor parentis prius ad filium.

Igitur, quum Deus Incarnatus simul ac Redemptor Josephum præ omni creatura dilexerit, quomodo ei gratiam et gloriam, præ omni creatura, non donaverit!

Confirmatur. Jesus, etsi diceretur filius Josephi duntaxat *putativus*, factus fuit particeps patris bonorum omnium: quidni Josephus factus fuisset, supra omnes, particeps bonorum filii sui Redemptoris?

Ratio Secunda, *Christus obligatus Josepho.*

Verum, etiam non dato quod titulo patris Josephus a Christo fuerit prædilectus, id certe titulo grati animi videtur concedendum.

Cor Jesu divinissimum exquisitæ supra modum fuisse ac esse sensibilitatis et gratitudinis, citra blasphemiam negabit nemo. Age vero, quot beneficia Josephus Christo præstitit, a primo ejus nativitatis ortu, quin et prius quam nasceretur? A quo, quæso, Christus, in terris vel in cœlis, non dico magis, sed

etiam æquali gradu, obsequiis officiisque fuit circumdatus et cumulatus? Sed quis, tanto sui dispendio, tantis animi et corporis doloribus ac ærumnis?

Hæc utique obsequia et officia omni jure Christo debebantur: at Deus præmiare non dedignatur famulatum, quem a creatura recipere debet ac vult. Quin etiam gradus obsequiorum, quæ a creatura Deus exspectat et exposcit, ille est gradus præmiorum, quæ largiri intendit. Hæc est sane doctrina catholica, quam sacræ Paginæ, imprimisque Pauli Epistolæ satis aperte docent

Unde, voluit Verbum Incarnatum a Josepho accipere officia quotidiana et omnimoda, qualia, quali titulo et affectu, a nulla creatura; voluit ergo Josephum præmiare, sicut aliam creaturam nullam. *Qui accipit prophetam in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet* (MATT., X). Qui recepit ipsissimum Deum in nomine Dei, qui Deum ab infamia et morte liberavit, qui Deum aluit,.. quid mercedis recipiet, nisi mercedem Dei, nimirum gratiam et gloriam, quæ patrem Dei plane deceant?

Promisit benignissimus Dominus eum, qui dederit propter ipsius nomen potum aquæ frigidæ, non perditurum mercedem suam; et in solemnissimo judicio, ex hac potissimum ratione laturum se sententiam dixit, quod ipsi esurienti dederint justi manducare, ipsi sitienti bibere: quid porro dicturus est patri suo Josepho? Quærant a Christo alii justi, quando dederint vestes aut nutrimen? Quid hoc quærat Josephus? Enimvero, non nomine ipsius, sed ejus ipsissimæ Personæ, non aquæ frigidae potum, sed quotidianæ refectionis alimenta, durissimo labore comparata, tum quando sibi nihil poterat sufficere; non manducare modo, aut bibere, aut vestiri, sed ipsam e gladio servatum vitam dedit, dedit famam, dedit solatium, dedit sollicitudinem et amorem, ea prorsus quæ decebant Deum Incarnatum; sed hæc eadem Matri ejus plenissime dedit, quam unam Christus supra omnes simul adamavit. « *Euge, euge, qui debitorem habes, qui omnibus mutuatur: Deo enim universi debemus, tibi autem etiam ille debet.* » (Method. de Purif.) — Et Guarrius: « Nullus mihi plus ministravit (et pari titulo) in humilitate mea, nulli abundantius administrare volo in gloria mea, nec satis glorificatus videor, donec tu glorificeris ».

RATIO TERTIA. *Josephus in cœlis.*

Illam considerationem huc iterum adducam, quam supra, loquendo de Virgine, notavi. Nimirum incredibile est Verbum Incarnatum sibi hominem devinxisse, ac ante omnes propinquissimum consecrasse, eo tantum durationis spatio, quo mala omnigena essent illi, ad obsequium divinæ Personæ, subeunda ; tunc vero quum intravit in gloriam suam, unionem hanc et propinquitatem omnium summam, dissolvisse. His tantum auditis exhorret sensus catholicus, aut multum fallor ego.

Confirmatur 1. Ac ulterius procedendo, si « certissimum est, auctore Suarezio, perseverare in cœlis relationes Deiparæ ad Verbum », quid, quæso, cessarent relationes Josephi ad idem Verbum specialissimæ ipsiusque unius propriæ ? Nonne fuerunt illæ relationes omnes ordinis supernaturalis, quinimmo ordinis hypostatici ? Numquid non perseverat in cœlis unio hypostatica ? Quare cessarent agnosci in cœlis *parentes* Verbi Incarnati ?

Confirmatur 2. Atque istud si tibi non sufficit, dicam Josephum, nisi sit in cœlis Christo omnium proximus, permultum amisisse commutando vitam temporalem cum æterna vita. In terris namque fruebatur Deo, modis quibus non fruuntur etiam Beati in cœlis : « Mira sorte beatior ». Jam amisit illam unam sibi propriam propinquitatem, amisit Deum illum, quem tanto tempore ac tam intime datum fuerat possidere : jam non possidet nisi Deum, ut ita dicam, omnibus communem. Jesus non nescit Josephum ; sed nescit patrem.

Confirmatur 3ª. Dedecus foret Verbo Incarnato, si Mater ejus elevata non fuisset supra omnes cœlitum choros ; gloria est maxima Christo, quod Mater ejus sit cœlorum Regina. Numquid aliquid dedecoris eidem Verbo Incarnato accederet, si pater ejus inter omnes *confunderetur* ? Gloria summa Josephi nonne gloria est summa Christo ?

THESIS VIGESIMA QUARTA

Sanctissima Trinitas Josephum supra omnes gloria et honore coronavit.

Ingratum forte non erit hunc eumdem processum de Patre et Spiritu Sancto diserte prosequi. Et quidem non arbitrarie, nam Christus ipse dux nobis est, cum s. Evangelio.

Hic est Filius meus dilectus in quo complacui mihi (MATT., III, 17). Non affirmative tantum, sed etiam exclusive, sic ab æterno et ab æthere profatur Pater. Verbum Incarnatum est Unigenitus et *Unidilectus*. Tota hæc est doctrina s. Pauli præsertim et s. Joannis.

Ad rem Cornelius a Lapide, in l. c. — « *Dilectus* i. e., juxta versionem græcam, unice et summe dilectus, per quem cæteri diliguntur, nec ullus a Deo diligitur, nisi quem Ille dilexerit. *In quo mihi complacui*, ita scilicet, ut tu solus, o Christe, perfecte, per omnia, summe et infinite mihi placeas, ac nemo mihi placeat nisi per te. »

Et in hoc : *Gratificavit nos in Dilecto Filio suo*, (*Eph.*, I,6) « Legitur in Græco *In Dilecto*, scilicet absolute, et sine quo cæterorum diligitur nemo, quippe causa est cur cæteri diligantur. »

Quemadmodum igitur voluit Deus homines vocare in participationem filiationis divinæ per Jesum Christum Dominum Nostrum, quem quotquot receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, sic eosdem per eumdem Dominum Nostrum Jesum Christum ad participationem hujus infinitæ suæ charitatis, qua Unigenitum diligit, advocare, attrahere et complecti dignatus est. Unde Patri, præsenti in ordine, placere nequidquam potest præter Filium, aut quod cum Filio conjunctionem habet, sed eo magis placebit creatura, quod strictiore et perfectiore vinculo Verbo devincietur. Tota distributio gratiarum fit secundum vel propter unionem cum Christo Jesu. Hanc legem Providentiæ supernaturalis, quam passim reperies apud sanctos celebratam, videmus in Apostolis ac in Præcursore splendide compleri, at supra omnem modum in Dei Genitrice Maria, cu-

jus gratiæ plenitudo, omnibus prædicantibus Patribus, ex hoc unico fonte, tota quanta est, derivatur.

Age nunc de Josepho : ecquis Verbum Incarnatum ferventiore recepit ardore, affectu pleniore, altiore ac perfectiore titulo ? Ecquam creaturam decrevit Deus ad unionem cum Christo evehere magis intimam et necessariam ? Sufficit adpellare ad ea quæ superius evoluta sunt. Certissimum est Patrem nullam creaturam elegisse ad æqualem, et pari titulo, amicitiam cum Unigenito et Unidilecto instituendam ; ergo certum pariter, æqualem amorem, adeoque gratiam æqualem nulli creaturæ fuisse elargitum. Nempe Pater infinitæ suæ complacentiæ satisfecit eamque Humanato Filio manifestavit, non modo Matrem excelsissimam illi eligendo, sed etiam excelsissimum patrem.

Confirmatur 1°. Principium est, omnium judicio receptum, Christo fuisse ab Æterno Patre ea omnia data, quæ divinam decerent Humanatam Personam, quæque cum opere Redemptionis possent conciliari. Jamvero Verbum Incarnatum plane decebat, ut patrem in terris diceret et haberet, qui proxime perfectionem et amorem Æterni Patris imitaretur, juxta illud : *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est* ; plane decebat, ut homo ille esset super omnes amabilis, quem Deus Verbum tenerrimo omnium nomine compellaret ; plane, ut Christum Jesum charitate omnium summa complecteretur, ille quem Pater Æternus sibi sufficiebat, participem nominis et auctoritatis, plane tandem, ut superangelica puritate et sanctitate niteret, ille qui, deputatus et consecratus ad immediatum divinæ Personæ obsequium, millies, officio ac jure paterno, contrectare, gestare, deosculari, increatam puritatem et sanctitatem deberet. At sane nihil horum non poterat cum opere Redemptionis conciliari.

Confirmatur 2° Hæc de munere patris nude accepto ; sed longe pressius urget argumentum, si, quod supra de grato animo Verbi Incarnati diximus, huc inflectamus.

Reapse officia et obsequia præstare Filio Unigenito est certo certius Patris sibi adsciscere benevolentiam, eoque uberius, quo majora, magis intima fuerint ista. *Qui diligit me*, ait Christus,

diligitur a Patre. Ipse enim amat vos, quia vos me amastis. (JOAN., XIV, 21 ; XVI, 27.)

Ergo Josephus, qui Christo, maximis quidem suis animi et corporis expensis, officia præstitit summa, immediata, omnisque generis, per totam fere mortalem Jesu vitam, sed certe qualia et quali affectu, nulla illi creatura præstitit, a Patre fuit, quasi grati animi titulo, super omnem creaturam prædilectus et gratia præcumulatus.

Quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Me duxit et reduxit sanum meipsum a devoratione piscis eripuit : quid illi ad hæc poterimus dignum dare? (TOB., XII.) Sed forte Tobias filiusque Tobiæ gratum animum magis habuere, quam Unigenitus Dei et Pater Æternus ? Filii Tobiæ forte pretiosior vita fuit, aut patri carior, quam Deo vita Jesu Christi Domini Nostri ?

Hanc porro eamdem argumentionem de Spiritu Sancto prosequi licet. Spiritus Sanctus, cui appropriatur Incarnatio, utpote amoris opus incomprehensibilis, eo magis creaturæ suum favorem multiplicat, quo magis divinissimo mysterio adhæret adque illud complendum adlaborat. Jamvero Mariæ, quæ causa fuit materna mysterii, et Jesu, qui fuit ejus objectum, Josephus adhæsit sicut alius nemo, jure altissimo, animoque fidelissimo ; idemque adlaboravit, non modo consequenter, ut fructus Incarnationis in homines redundarent, sed etiam antecedenter et concomitanter, ut congrue, juxta divina decreta, Verbum incarnaretur ; jamque facta assumptione ineffabili, ita laboravit, ut Matri et Filio omnia per eum sapientissime fuerint provisa et absoluta : *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum.* (S. Bern.)

Ergo et Spiritus Sanctus Josephum, præ omni alio, dilexit et gratia ac gloria amplificavit.

Confirmatur 3° Qui summo amore dat quod majus est satis declarat se etiam velle dare quod est minus, præsertim si primum donum sine altero, nihil aut pene nihil utile sit. Porro Pater Æternus Josepho dedit donorum omnium possibilium maximum, Filium suum Unigenitum, dedit possessione omnium

possibilium perfectissima ; sed donum illud et illa possessio, non potuerunt esse alicujus utilitatis Josepho sine gratia, quæ certe est minus donum. Ergo, dando Josepho donum omnium summum, Deus, vel dedit illi pariter gratiam summam, vel voluit hoc donum esse illi nullius utilitatis, aut certe longe minoris.

Confirmatur 4° Fingas animo Beatum Josephum, simul ac eligitur ad paternitatem Christi, ea plenitudine acceptam quam diximus, hoc ipso non eligi ad gratiam et gloriam supremam : jam extra et infra unionis hypostaticæ ordinem, aliqua datur creatura ss. Trinitati gratior et gloria excelsior : quod quomodo concordet cum doctrina Pauli et Joannis, ac universæ traditionis, quæ Incarnationem praedicat fastigium operum Dei et centrum divinæ dilectionis, equidem non video. Si centrum divinæ dilectionis Incarnatio est, quo quis propius ad eam accedit, magis diligatur necesse est ; si omnium operum Dei fastigium tenet, majorem seu altiorem creaturam illam fateamur, quæ ad illud usque evehitur.

THESIS VIGESIMA QUINTA

Sanctitas Josephi demonstratur ex loco quem in ordine gratiæ occupat.

Demonstratio. Hanc sententiam apud Patres et sanctos, necnon in sensu catholico communi, certam ac planam invenies : Mariam suo concursu ad Incarnationem et, ex gratia sibi data, disponendo se ad hoc ut congrue fieret Mater Dei, plus gloriæ Deo contulisse quam per sua bona opera quemlibet unquam Beatorum. Et rectissime sane, quum, hujusmodi concursu, Maria gloriam Deo procurarit totam ex Incarnatione derivandam ; Incarnatio autem plus attulerit gloriæ Deo, quam omnes simul creaturæ potuerint afferre, aut potius : *per Ipsum Verbum Incarnatum, et cum Ipso et in Ipso omnis Deo honor et gloria.*

Ex qua ratione colligitur plus sibi Mariam gratiæ et gloriæ meruisse, atque a Deo recepisse, quam omnes Beati receperunt

aut meriti sunt. Hujus autem consequentiæ legitimitas illo principio nititur, quod Deus a creatura vinci non possit et sic meritis præmia exæquet, ut non minore pondere gloriam conferat quam ei creatura contulerit. *Quicumque glorificaverit me glorificabo eum* (I *Reg.*, II, *30*) ; et certe eodem gradu, secus revera maneret creatura, glorificans Deum, aliquid inglorificata. Christus vero docet nos ne minimum quidem opus, in honorem Dei collatum, mercede sua defraudatum iri.

At si quis velit animo revocare quæ fusius supra, prælucente Thoma et Augustino, exposita sunt, haud ægre confitebitur Josephum gloriam contulisse Deo ante alium quemvis sanctorum. Et sane, quanquam physice nihil ad Incarnationem concurrerit, nisi tamen servando et augendo Redemptoris vitam, nihilominus vere ac realiter ad hoc ut mysterium compleretur aliquid fecisse dicendus est. Ergo, licet non primario, sicut Beata Virgo, neque quantum ipsa, mirifice tamen ac vere gloriam Dei procuravit ex Incarnatione colligendam. Hoc solo sensu cantat Ecclesia Josephum ministrum fuisse salutis. Sed neque in hoc ullus cœlitum potest illi comparari. Ergo Deus eum maxime et plus quam alium ullum glorificat in cœlis, æternumque glorificabit.

THESIS VIGESIMA SEXTA

Ratione theologica eædem theses confirmantur.

Declaratio. Quo firmius procedat argumentatio, quædam sunt ab eximio doctore principia mutuanda.

Certissimum est, et quidem de fide, Beatam Virginem Mariam primo vitæ instanti exstitisse Immaculatam. At nemo nescit nactam fuisse hanc veritatem gravissimos theologos qui contradicerent. Hujus porro Virginis privilegii patronus Suarez acerrimus illud pluribus fulcit rationibus, quæ tamen ex rei decentia deducuntur. Hoc autem egregius theologus perspiciens duodecimo loco ista sua argumenta sic simul omnia tuetur.

« Ita concludere possumus, quia theologi ad persuadendum fuisse in Virgine alias perfectiones non utuntur gravioribus,

quam hujusmodi, quæ in decentia rei nituntur et eas putant esse efficaces, quia debuit Virgo esse idonea Mater Dei. Cur ergo in præsenti materia non existimabimus eas esse efficaces, aut certe efficaciores, quum carentia peccati originalis, quæ suo modo substantiam vitæ spiritualis attingit, magis ad idoneam matris dispositionem pertineat, quam aliæ perfectiones, quæ, licet decentes sint, per se tamen et formaliter sanctitatem non augent nec minuunt, ut sunt virginitas et integritas in partu, carnis incorruptio, etc ? Et augetur vis argumenti, quia, si eis nonobstantibus (rationibus decentiæ quas affert) negatur hoc privilegium esse Virgini concessum, debilitantur plane rationes omnes, quibus similes gratias de Virgine aut de ipso Christo persuadere solemus. »

Porro duplex dari potest rei decentia, altera quæ a sola Dei operantis voluntate originem ducit, quamque omnibus operibus divinis inesse necesse est : Deus nihil quod non deceat operatur ; altera quæ fundamentum in ipsa creatura et quamdam veluti exigentiam exhibet late dictam. Prior nonnisi *a posteriori* dignoscitur et vim probandi non refert : potuit enim Deus res creare hoc vel illo numero, pondere et mensura. Posterior autem vim probativam habet, haud equidem necessario et essentialiter, sed relative et inductive. Duo quippe sunt in creaturis distinguenda, aliud quo essentia et natura consistat, aliud quo natura apte et bene existat. Potest utique Deus permittere ut agens creatum inepte operetur ; ipse autem nihil mancum aut ineptum, quum operatur, perficit.

De posteriore, non de priore, decentia Suarez loquitur. Hanc eamdem doctrinam præiverat Canus profitendo ; unde concludit, exempli gratia, virginitatem Mariæ perpetuam, etiamsi de hoc tota traditio taceret, citra dubium esse tenendam. Posset etiam exemplo esse apparitio Domini redivivi in primis ss. Matri, de qua tacent ss. Litteræ et Traditio, « quo nonobstante, ait Suarez, sine ulla dubitatione credendum est Christum, post resurrectionem, primum omnium Matri suæ apparuisse ».

Idem plane principium eloquitur Augustinus (l. 3, de lib. arb., c. 5) « Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id scias fecisse Deum » ; quidquid scilicet decentiam, ex rei natura

natam, retulerit. Quod enim homo sapiens ageret, id divina sapientia fecisse putanda est.

Quodsi hujus veluti effati apud theologos recepti ratio quæratur, dicendum videtur hanc *a priori* reddi non posse, quia quantumvis aliquid deceat, nisi secus malum importetur, potuisset *absolute* Deus aliud velle. *Absolute* enim loquendo potuit Deus Salvator ex Eva pœnitente carnem sumere, potuit ex non virgine nasci ; potuit absolute Deus caro factus permittere matrem Angelis inferiorem... et alia sexcenta. At vero, inductione moraliter completa, tum ratione, tum fidei documentis edocemur de facto hujusmodi decentias Deum, in operibus suis maxime supernaturalibus, observare ; ex quo *a posteriori* colligere licet firmum esse principium quod modo protuli a theologis acceptum.

Præterea theologi aliud agnoscunt argumentandi genus, quod, non ex sola rei decentia, sed ex quadam necessitate *connaturali* ducunt, quatenus natura appetit per se *proportionem* inter statum in quo reponitur et dotes quibus ornetur, inter media et finem ad quem dirigitur, inter qualitates personales et relationes ad quas ordinatur... Sic v. gr., in ordine naturali *requiritur connaturaliter* inter sponsos mutuus amor, immo amicitia summa ; requiritur inter eosdem quædam conditionis æqualitas ; *requiruntur connaturaliter* in rege regiæ dotes et in omni statu qualitates respondentes... In ordine supernaturali, requiruntur connaturaliter *habitus* supernaturales ad actus ejusdem rationis ; in Apostolis requirebatur plenitudo revelationis ; in anima Christi requirebatur gratia creata ; item debuit Christus Rex et Salvator omnes subditos suos et redemptos scientia creata infusa cognoscere...

Hæc exigentia ducta ex ordine *connaturali* valde differt, ut patet, ab exigentia ex sola rei decentia orta, eique multum superaddit. Virginitas Mariæ, ex. causa, non requirebatur *connaturaliter*, sed ex sola rei decentia ; hac autem semel posita, debuit connaturaliter esse omnium summa. Sic titulus Reginæ Apostolorum, Martyrum, Confessorum, non potuit connaturaliter Mariæ non competere. Et jam redeamus ad locum Suarezii.

Demonstratio. 1° Non ex sola rei decentia fuimus, saltem in

pluribus, argumentati, sed, uti videtur, ex certis in theologia principiis. Igitur, si quod rei decentia dictat firmum præbet argumentum, firmum *a fortiori* præbebit quod firmiore etiam nititur fundamento.

2° Sed esto, argumenta isthæc nostra nihil nisi rei decentiam referant, quod neminem negare posse arbitror, numquidnam vim probandi amittent? Minime sane, si quis velit verba Suarezii pensare.

Ipse loquitur de decentiis ex natura rei ortis, causamque triplicem affert cur hujusmodi argumenta vim theologicam habeant demonstrandi : tum scilicet, « quia theologi ad persuadendum fuisse in Virgine alias perfectiones, non utuntur efficacioribus rationibus et eas putant efficaces » ; tum etiam, quia si valet theologis hoc genus argumentandi in re minoris momenti, uti sunt privilegia, quæ per se non referunt perfectionem animæ supernaturalem, *a fortiori* valere dicendum est, quum de perfectione agitur, quæ per se ad idoneitatem animæ Matris pertinet ; tum denique quia, si argumenta hujus modi ablegantur, « debilitantur plane rationes omnes, quibus similes gratias aut de Virgine aut de ipso Christo persuadere solemus ».

Agedum, ecquis non affirmabit summæ fuisse decentiæ, immo et connaturalis necessitatis, ut Beata Virgo non sociaretur nisi viro, ipsi gratiæ decore simillimo ; summae decentiae, ut omnes cœlicolæ per sæcula æterna canant nihil beatius aut gloriosius fuisse quam matrimonio jungi Reginæ Cœlorum ; summæ decentiæ, ut supra omnes Angelos et Sanctos supernaturali dilectione exstiterit amabilis, quem Maria sanctissima debuit ceu sponsum colere et amare ; summæ decentiæ, ut eadem Virgo Maria pro sponso magis quam pro alio nullo exoraverit, ac ita quidem ut immensitas gratiarum tum suæ dilectioni responderet, omni dilectione majori, tum suæ apud Deum omnipotentiæ supplici ; summae decentiæ, ut non dissociaretur a Maria in cœlis, sed ante omnes accederet, ille quem Deus eidem Mariæ strictissimo vinculo conjunxit in terris, tum maxime quum societas illa omnium summa, non modo ad omnes simul Incarnationis perferendos labores, sed ad ipsammet Incarnationem perficiendam fuerit ordinata !... summæ decentiæ, ut non daretur Verbo Incar-

nato ad immediatam divinæ Personæ curam et contrectationem nisi virum puritate et sanctitate primum ; summæ decentiæ, ut omnes Cœlites æternum canant dignitatem qua altius nihil creaturæ concessum est ; summæ decentiæ, ut Christus Jesus Josephum, non solum in terris, sed in cœlis, amaret omnino post Mariam, qui cooperatus est ut carnem sumeret, qui amantissimus datus ei servator, Æterni Patris vicarius ac veluti figura et providentia ; summæ decentiæ, ut Verbo Incarnato magis omnium accedat in cœlis, qui omnium magis ei ministravit in terris, maximis laboribus et ærumnis, titulo potiore, continuata semper et infracta sollicitudine, abnegatione sui et caritate summa ; summæ tandem decentiæ, ut Pater, Verbum Spiritus Sanctus magis diligant in cœlis illum cui majus omnium, vel possibilium, in terris, titulo præstantissimo, tradiderunt donum, eoque amplius, quod ille vir magis dilexit Christum, illique majora et omnigena præstitit obsequia, aut maxime, quod sacrosanctæ Incarnationi, quæ fons est gratiarum et gloriæ, ita suo concursu fecerit, ut plenissima convenientia ad exsequutionem potuerit demandari !

Harum vel una — ac plures omittimus — decentia videtur abunde sufficere, ut summus proclametur Josephus, quum « theologi ad persuadendum Virginis perfectiones ac ipsius Christi, non utantur efficacioribus, quas tamen efficaces putant » : et omnes simul sumptæ non sufficerent ! Sed, si una negetur, jam « debilitantur rationes omnes, quibus similes gratias de Virgine et Christo theologi persuadere solent » : quid si negentur omnes ! Immo et « hujusmodi rationes theologis sufficiunt ut colligant in Maria perfectiones, quæ per se non pertinent ad idoneitatem animæ Matris Dei » : *a fortiori* sufficiunt, quum agitur de perfectionibus, quæ pertinent ad idoneitatem animæ sponsi Deiparæ et Deiparentis.

Adde — quod summi est momenti, — perplures, quas diximus decentias, non decentiæ tantum ex natura rei ortæ, sed *necessitates connaturales* dicendæ sunt. Recole sis theses superius expositas : inter tam multa argumenta fere nullum invenies, quod, ut minimum, necessitatem connaturalem non referat.

Deus Optimus Maximus, qui juxta Patres et theologos, aliis in adjunctis, decentiæ leges infinita servat bonitate et sapientia, magna hominem tractans reverentia, tot tantasque decentias omnes in solo Josepho subvertisset ; sed populum christianum præmonitum non voluisset se, in Virginis sponso ac Christi parente, harum nullam attendisse ! Equidem, ut quod sentio fatear, si hac demonstratione percepta, quæ fundatur in Patrum ac theologorum usu et doctrina, assensum detrectavero, illud mihi timeo : *Et vos adhuc sine intellectu estis* ? (Matt., xv, 16).

3° Tertia demum ratio cur, posita Suarezii argumentatione, valida nostra, aut etiam validior, evadit, est, quia ad Suarezianam thesim probatio requirebatur multo efficacior quam ad hanc præsentem nostram. Etenim quid assumebat ille probandum ? Haud certe privilegium intra legem ordinariam supernaturalem, sed extra et supra aut etiam contra legem universalissimam : *Omnes peccaverunt* ; *omnes mortui sunt*, nec infante unius diei excepto. — Nos autem nihil intendimus hujusmodi. Rationes igitur minoris momenti poterant a nobis expectari ; at vero plures et aliquo modo validiores ad intentum nostrum adducimus quam Suarez ad suum. Ergo, si potuit ille, ex usu theologorum, vim suis rationibus vindicare, videmur et nos, intra legem ordinariam, idem posse, aut etiam fortiore jure.

Sed crescit argumentum, si recordemur contra thesim Suarezii (quæ jam de fide est) speciem tunc habuisse validæ objectionis loca quædam Scripturæ, et Patres nonnullos dubitasse, aut saltem minus clare fuisse locutos, atque scholasticos graves contradixisse. Thesim vero nostram neque ullus Scripturæ locus, neque ulla Patrum verba infirmant, ut aperte notat Suarez : « Nihil in Scriptura aut in Patribus est quod opponi possit huic conclusioni nostræ de præstantia s. Joseph, neque ex usu Ecclesiæ (tempore Suarezii parum colebatur), neque ex auctoritate potest sumi argumentum contrarium. » — Hæc affirmatio eximii doctoris maximi est ponderis. Nam *a*) vix datur in dogmate aliqua propositio falsa, quæ non possit uno ex his capitibus refelli : igitur, si ex nullo capite opponi quidquam potest præstantiæ s. Josephi, *hac sola ratione*, præstantia ejusdem Sancti videtur moraliter certa. — *b*) Si quis locus in contrarium

fuisset, Suarezius illum contra « nimium asseverantes » opposuisset. — *c*) Sed, ut supra ostendimus, Suarezius, licet asserat omnino et probet « præstantiam s. Joseph », hanc tamen non satis perspexit, omittendo quod, in ejusdem ministerio, præcipuum et caput est : concursum intrinsecum in ordine unionis hypostaticæ.

Quapropter, si velimus theologum agere, « nec ad contentionem fuerimus informati, ut Canum loquar, sed ad disciplinam vel mediocriter instituti », hisce tot tantisque rationibus moti, affirmabimus Beatum Josephum, ut dignitate, sic gratia et gloria, primum a Beata Virgine tenere locum.

THESIS VIGESIMA SEPTIMA

Ex elogio, quod Christus de s. Joanne Baptista protulit nihil, testibus theologis, contra præstantiam s. Josephi evincitur.

Declaratio. Restat difficultas enodanda, quæ nonnullis magnum facessit negotium ; sed ideo facessit, nisi fallor, quia studium theologicum huic quæstioni haud satis adhibuerunt. Faveant saltem perlegere quæ sequuntur.

Porro difficultas oritur ex verbis in laudem Joannis Baptistæ a Christo prolatis, quæ sic leguntur apud Lucam et Matthæum.

Apud Matthæum, xi, 11 : *Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista : qui autem minor est in regno cœlorum major est illo..*

Apud Lucam, vii, 28 : *Dico enim vobis major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est : qui autem minor est in regno cœlorum major est illo.* »

Quoniam nonnulli magnam inde aut unicam difficulatem præstantiæ s. Josephi opponunt, operæ pretium duco illam, quatuor thesibus sequentibus, summa cura penitus evellere. In thesi præsenti, interpretationem, quam theologi primi subsellii de verbis Domini tradunt, afferemus,

S. Thomas. (In Matt., xi, ii).

« Quid est quod dicit *Inter natos mulierum non surrexit major* ? Estne propter hoc major omnibus ? Dicit Hieronymus quod hoc non sequitur : si non surrexit major, ergo est major. Chrysostomus autem dicit quod est major omnibus. Secundum ergo primam expositionem, dico quod argumentum illud in Angelis, ubi est ordo, valorem haberet, quod ille quo non est major est maximus ; sed inter homines non habet veritatem, quia inter homines non est ordo, secundum naturam, sed solum secundum gratiam. Item *si dicatur major omnibus patribus Veteris Testamenti, non est inconveniens.* Ille enim major et excellentior est, qui ad majus officium est assumptus. Abraham enim major est inter patres, quoad probationem fidei ; Moyses vero, quoad officium prophetiæ, Deut. x. Omnes isti præcursores Domini fuerunt, nullus autem fuit in tanta excellentia et favore (quam J. B.), ideo ad majus officium est assumptus. Luc, i, 15 : Erit magnus coram Domino.

» *Quiautem minor est in regno cœlorum major est illo.* Potest hæc locutio exponi tripliciter. Primo, ut per regnum cœlorum ordo beatorum intelligatur : et qui inter illos est minor major est quolibet viatore... Aliter potest exponi, ita quod per regnum cœlorum præsens Ecclesia designetur. Et hoc est quod minor non dicitur universaliter, sed minor tempore, Joan i, 15. Unde qui minor est major est illo. Vel aliter potest exponi, quod aliquis dicitur major dupliciter. Vel quantum ad meritum, et sic multi Patriarchæ sunt majores aliquibus Novi Testamenti : sicut dicit Augustinus quod cœlibatus Joannis præfertur conjugio Abrahæ. Aut comparando statum ad statum... Unde Joannes habet istam dignitatem quod est in quodam confinio, quia major viatoribus, minor comprehensoribus. »

Idem s. Thomas, *De veritate*, q. 14, ii, ad 6. — « Dicendum quod Joannes Baptista, quamvis suo tempore, *inter majores fuerit computandus*, quia præco veritatis a Deo fuit institutus, non tamen oportebat quod explicite crederet omnia quæ post Christi passionem, tempore gratiæ, revelata explicite creduntur. » — Cf. quæ habet, Ad Rom. c. viii, lect. v.

Circa hæc observa. — 1° *a*) Ubi s. Thomas exponit ex professo

sensum loci citati, nedum affirmet majoritatem absolutam, contra restringit ad comparationem cum patribus Veteris Testamenti. — *b*) Hoc autem eo magis notandum est, quod hanc restrictionem apponit veluti postponendo auctoritatem s. Chrysostomi. — *c*) Quod vero attinet ad comparationem cum sanctis eodem tempore existentibus, hoc unum asserit : fuisse Joanem *inter majores* : quod certe non potuisset dicere, si revera Joannem habuisset omnibus majorem. — *d*) Reponitur tantum Joannes a s. Doctore inter Præcursores Domini, et ratio ipsius excellentiæ, præ aliis, dicitur quod fuerit assumptus ad majus officium præ illis. — *e*) In altero membro sententiæ Christi, vel agitur de temporis *majoritate*, et tunc nihil ad rationem dignitatis; vel agitur de statu et munere, et tunc Joannes dictus est quidem major viatoribus, sed minor comprehensoribus : ergo non major omnibus Cœlicolis.

2° Non modo s. Thomas hæc profert interpretando ex professo locum citatum, sed tunc temporis docebat, quum s. Joannes maxima gaudebat celebritate : unde, si, ea tempestate, habuissent communiter Joannem omnibus sanctis majorem, non potuisset s. Thomas saltem aliquibus non videri de s. Joanne detrahere. Ergo, non modo loca Scripturæ adducta, sed neque loca s. Liturgiæ, quæ videntur majoritatem absolutam Joannis referre, possunt tam stricto sensu accipi : sacræ enim Liturgiæ s. Thomas, dum scriberet, non ignarus fuit. Sed neque varia circa hoc Patrum sensa ignorabat, quum multa, in Catena aurea, proferat : ergo neque ad dicta Patrum majoritas absoluta Joannis exigitur.

Suarez. (T. 19, q. 38, a. 5. Disp. 34, 43).

« Dico primo, perfectionem gratiæ et sanctitatis, quam s. Joannes est consecutus, fuisse eximiam... Et hoc saltem convincit sermo Christi... accedunt Patrum testimonia.

» Nihilominus hujusmodi sanctorum Patrum dicta prudenti moderatione explicanda sunt, et ad verba Salvatoris et ad rem de qua agitur applicanda. Imprimis enim certum est in hujusmodi sanctorum comparationibus non posse Beatam Virginem comprehendi... Nonnula autem verba Chrysostomi, Ambrosii et Augustini, quæ videntur universaliora et veluti per quamdam exaggerationem dicta, pie interpretanda sunt et vel ad sensum

verborum Christi accommodanda, vel saltem dicendum B. Virginem ita esse cum Christo conjunctam, ut eam excipi intelligatur. Nam, sicut theologi dicunt, dictionem exclusivam non excludere concomitantia, ita dici potest, cum nonnulli Patres asserunt solum Christum esse majorem Joanne, non excludi Virginem, sed potius cum Christo copulari et comprehendi. (Hoc ipsissimum de Beato Josepho affirmamus, licet non tot ac tantis titulis quam de ss. Virgine.) Cujus manifestum argumentum est, quia aliis locis anteponunt Virginem, non modo omnibus sanctis hominibus, sed etiam omnibus Angelis, Joannem vero nunquam præferunt omnibus angelis... Quin potius Augustinus, l. 2, adv. leg. c. 5., dicit alios Prophetas esse æquales Joanni, licet non majores, quæ est etiam sententia Hieronymi. »

« 6. *Inter Joannem et Apostolos comparatio.* Deinde ex vi verborum Salvatoris non constat Joannem esse sanctiorem omnibus sanctis Novi Testamenti, præsertim Apostolis... Christus enim de præterito tempore usque ad illud in quo ea verba protulit, locutus est dicens : *Inter natos mulierum non surrexit major.* Unde non sequitur majorem unquam postea fuisse surrecturum neminem. Quod in verbis Lucæ evidenter apparet, ubi non simpliciter major, sed *inter Prophetas major* dicitur : ergo inde non colligitur esse majorem Apostolis... Adde, s. Anselmi et s. Thomæ judicio, Matth., III, Apostolos *munere et officio* superiores fuisse Joanne, quia fuerunt Ecclesiæ fundamenta, universalesque pastores et in universo orbe testimonium Christo reddiderunt, quod Joannes in uno populo Judæorum præstitit. Cum ergo Deus det gratiam et sanctitatem muneri accommodatam, fieri potest, ut, sicut Apostoli ministerio superiores fuerunt Joanne, ita fuerint et gratia. Igitur Christi verba non possunt de Apostolis intelligi. »

Toletus (In Luc, VII, 28).

» : *Dico enim vobis major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est ; qui autem minor est in regno cœlorum major est illo.*

» Nonnullæ occurunt difficultates. Una est in connexione, cæteræ in sensus explicatione. — Quod ad connexionem spectat, particula *enim*, quæ a Matthæo prætermissa est, compellit

nos fateri hanc sententiam esse causam seu probationem præcedentis, in qua affirmaverat Christus Joannem eum esse quem Malachias prophetavit venturum ad præparandum viam Messiæ advenienti. Hoc autem probat ostendendo eum esse excellentiorem cæteris prophetis, minorem tamen iis qui in Ecclesia Christi minimum habent locum. Non est autem sermo de gratia et sanctitate, sed de conditionis et status dignitate, ut infra...

» Altera difficultas est in sensu, nempe quomodo Joannes major sit dictus. In cujus explicatione variæ sunt sententiæ. Primo, quidam ita majorem cæteris Joannem prædicatum censent, ut non excludatur quod quin potuerit habere æquales ; non enim dictus est major omnibus sed nemo major illo. Sic interpretatur Hieronymus et Augustinus. Quidam alii absolutam prælationem affirmant, ut sit inter natos mulierum summus et maximus. Sic intelligunt Chrysostomus et Cyrillus. Hæc autem sententia accommodatior videtur...

» Gravior est tertia difficultas, nempe quid sit id in quo, vel cæteris prælatus est, vel nemo illum antecelluit. In hac difficultate enodanda plures sunt sententiæ DD. Primo, quidam de sanctitate vitæ hanc collationem intelligunt, ut nemo Joanne sanctior fuerit, quamvis æquales habere potuerit. Sic Hieronymus sensisse videtur.

» Secundo loco, quidam, non in sola, sanctitate vitæ, sed etiam in prærogativis Deique beneficiis Joannem præpositum dicunt. Sic Chrysostomus et Euthemius.

» Tertio, quidam non de gratiæ dono aut sanctificatione spiritus, sed de virtute humana interpretantur... Ita Cyrill ; videtur autem intelligere de virtutibus et donis naturalibus, in quibus omnium summum Joannem dicit.

» Quarto, quidam alii de prophetandi functione interpretantur, nimirum, ut nemo propheta sit illo major ; non enim dictum est neminem illo majorem, sed neminem majorem prophetam fuisse... Ista sententia est Ambrosii et Augustini, qui pro eodem accipit esse plus quam prophetam et neminem illo esse majorem ; cui favent verba Lucæ : dicitur enim, *nemo major propheta Joanne est* ; et quamvis apud Matthæum absolute dictum sit non surrexisse majorem Joanne, supplendum est

verbum ex Luca, nimirum, non surrexisse majorem illo prophetam ; et ex præcedentibus ibidem id constat, nam hæc sententia sequitur illam, *utique et plus quam prophetam*. Unde quum de prophetis esset sermo, intelligi debuit dictum, neminem majorem illo prophetam exstitisse. Sicque Hilar. interpretatur. Quæ sententia omnium accommodatissima mihi visa est, ob ea quæ diximus : non enim existimo de sanctitate vitæ Christum loqui, quamvis fieri potest illum fuisse, aut sanctiorem, aut neminem illo justiorem ; et sermo est de prophetiæ munere... Simile quid legimus, Deut. ult., ubi dicitur neminem post Moysen similem prophetam surrexisse, quod non ad justitiam et sanctitatem vitæ spectat, sed ad prophetiæ functionem. Favent verba subjecta, *qui minor est in regno cœlorum major est illo*.

» Augustinus duas proponit expositiones, una ut, per *regnum cœlorum* intelligamus patriam cœlestem, per *minorem* autem aliquem ex Beatis Angelis aut justis hominibus, ut sit sensus : quilibet ex beatis, vel inter eos minor, major est quolibet portante corpus, quod corrumpitur et aggravat animam. Altera est, ut per *regnum cœlorum* intelligatur Ecclesia hæc militans : tunc autem hic minor Christus est, qui nascendi tempore minor erat Joanne, major autem æternitate et Dominica potestate. Hæc Augustinus refert et utramque probat interpretationem. Priorem expositionem secutus est Hieronymus, MATT., XI, ubi etiam recitat posteriorem, sed hanc postponit illi. Posteriori vero adhæsit Chrysostomus, hom. 38 in MATT., adjungens Christum dictum minorem Joanne, tum ætate, secundum carnem, tum etiam opinione hominum... Idem sensit Ambrosius, in præsenti, qui hanc sententiam Christum de se protulisse dicit.

» Est autem tertia expositio, quam sequitur Cyrillus, qui per *minorem* interpretatur quemlibet ex fidelibus, qui in Ecclesia renati sunt ; hi multo majores sunt Joanne et prophetis, qui in lege fuerunt... Ita etiam Isid. Pel. Est autem advertendum, quando dicuntur ii qui in Evangelio vivunt et renascuntur majores prophetis et iis qui in lege fuerunt, nolumus significare eos esse sanctiores, sed esse nobilioris status et conditionis ».

Sylvius (In 1, q. 117, a. 2).

« Dices aliqui homines videntur esse majores aliquibus Angelis, utpote ad majorem gloriam evehendi ; ergo possunt eos docere. — Resp. Neg. Anteced. Loquendo enim de viatoribus, quilibet angelus est simpliciter major quolibet homine, juxta illud Christi, Matt., xi, *qui minor est in regno cœlorum major est illo*, sc. Joanne Baptista, quo tamen nullus surrexit major inter natos mulierum... Circa porro illum locum Matt., observandum est, non solum B. Thomam, sed etiam s. Ambrosium, Hieronymum et Bedam, Augustinum et Anselmum (si tamen sit Anselmi), ita eum exponere, ut generaliter significetur, quod quicumque est in beatitudine regni cœlestis major sit quovis homine viatore. Quorum tamen aliqui etiam alterius expositionis meminerunt, ut, in isto relative *qui* Christus seipsum dixerit, qui in Ecclesia militante minor est Joanne, quantum ad ætatem, major autem quantum ad potestatem et divinitatem. Sed priorem, ut simpliciorem probat Hieronymus. »

Barradas. (T. i, l. 8, c. 4, vers. fin).

« : *Dico vobis major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est.*

» Quantus fuerit Joannes hæc verba Christi demonstrant, quæ d. Hier. Chrysost., Euthem., Thoph., August., Ambr., universim exponunt in hunc sensum : Non surrexit major homo Joanne Baptista. Hilar et August. de prophetis interpretantur... Hunc vero germanum esse verborum sensum constat ex Luca vii : eo enim capite sic Christus loquitur : *Dico vobis, major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est.* Quod igitur ex hac sententia colligitur hoc est, nullum ex Prophetis aut Patriarchis, cæterisque viris sanctis, qui ante Joannem vixerunt, Joanne fuisse majorem. Non tamen colligitur non fuisse parem aliquem, ut Hier. observavit et August. Sic August. q. 26 med. « Non dixit Christus, omnibus major est Joannes, sed nemo propheta illo major est ; hoc est, æqualem habet, majorem non habet. Elias ergo par illi est ».

Thostatus. (In Matth., xi.)

» Quæritur quo modo dixit Christus quod Joannes est plus quam propheta. Aliqui dicunt quod hoc fuit quia Joannes

erat major omnibus : ergo erat major prophetis, et sic erat.

» Sed non stat, quia propheta dicit solam cognitionem, et quia comparatio debet fieri in univoco, si aliquis est plus quam propheta, oportet quod excedat cæteros in genere cognitionis propheticæ : esse autem sanctiorem, vel minus sanctum, alienum est ad esse prophetam... Dicendum ergo quod Joannes est plus quam propheta, quia habet excellentiam quamdam circa rem propheticam super cæteros ; quia cæteri prænuntiaverunt, solus autem ipse prænuntiavit et ostendit... Hoc autem nemo prophetarum fecit ; nemo enim illum videre meruit. »

« An Joannes melior fuerit Apostolis ? Aliqui dicunt quod sic, quia putant propter hoc *Non surrexit major*. Potest considerari a nobis inæqualitas, vel quantum ad statum, vel quantum ad actum alicujus virtutis. Patet hoc de virtute, ut si quis comparet Joannem cum Apostolis in austeritate vitæ, fuit Joannes major illis (ante Pentecosten ; postea ?), quia illi edebant et bibebant, quæ apponebantur illis, Luc. X ; Joannes autem nec manducabat nec bibebat, i. e., quæ alii homines, sed solum locustas et mel sylvestre. Excedebant autem Joannem Apostoli in operatione miraculorum.

» Si autem considerentur quantum ad statum, fuerunt Apostoli majores quam Joannes..., quia Joannes propheta fuit ; Apostolus autem major est propheta... Si autem dicatur quod Joannes non solum fuit propheta, sed etiam plus quam propheta, dicendum quod excessit prophetas in hoc quod prophetæ prænuntiabant et non ostendebant ; is autem prænuntiavit et ostendit. Sed in hoc non major fuit Apostolis, quia ipsi Christum ostenderunt, prædicantes eum toti orbi : in quo majores sunt Joanne. Etiam ipsi plenius cognoverunt eum, quia audierunt semper doctrinam ejus et conversati sunt cum eo, quod pertinebat ad majorem excellentiam ipsorum, Luc. X .. Hoc autem non notificavit Joanni (quæ audivit a Patre), quia non conversabatur cum illo, et etiam quia illa non fuerunt illi necessaria, quia nunquam prædicavit de illis quidquam, sed reservabantur illa Apostolis (cf. supr., s. Thom.). Ergo erant majores Joanne in hoc.

» Fortassis etiam in charitate et spiritualibus donis majores fuerunt, quia Spiritus sanctus perfudit eos omnibus charisma-

tibus ad abundantiam. Plura etiam et majora facturi erant per totum orbem terrarum quam Joannes, qui soli genti Judæorum prædicavit... Cum autem dicitur, *Non surrexit major* non comparatur Joannes alicui futuro, sed videtur solum comparari cum eis qui fuerunt sub V. T... Item quia Joannes non comparatur hic omnibus hominibus, sed solis prophetis ; Apostoli autem fuerunt in majori gradu quam prophetæ. Ideo Joannes non est major eis. »

« An Joannes fuerit major omnibus, qui præcesserunt eum ? Aliter potest dici quod Joannes non comparatur hic ad omnes homines, sed solum ad prophetas, sc., quia nullus propheta fuit unquam major eo. Et ista videtur veritas. Dicit enim Lucas VIII : *Dico enim vobis, major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est*, i. e., nullus propheta fuit eo major, nec etiam æqualis, sed ipse fuit major omnibus. Et hoc etiam consonat litteræ præcedenti ; quia dixerat Christus supra, quod Joannes erat propheta et plus quam propheta ; ad ostendendum autem quod erat plus quam propheta, dixit quod non surrexit major eo, sc., nullus propheta fuit major eo. Item hoc convenit intentioni Christi, quia ipse volebat ostendere, quod Joannes non moveretur ab eo quod asseruerat, nisi inveniretur se errasse. Quod autem non erraverit ostendit Christus, quia ille erat propheta, et prophetæ non possunt errare in illis in quibus supernaturaliter illustrantur. »

Quoad *qui minor est*, habet aliorum interpretationem.

JANSENIUS (Gandavensis).

« Itaque bene ob Joannis excellentiam Dominus, post prophetæ testimonium, sua jam sententia Joannis præeminentiam paucis est complexus dicens : *Dico vobis, non surrexit...* Lucas vero dicit : *Major inter natos mulierum propheta nemo est.* Proinde et quod habet Matthæus, sic oportet intelligere, ut, non cum omnibus hominibus, sed cum omnibus prophetis intelligitur comparari Joannes, et subintelligitur : non surrexit major *propheta.*

» (Igitur, præmisso quod Christus Joannem comparaverit cum solis prophetis) dupliciter intelligi potest Joannem aliis dici majorem, videlicet, ratione prærogativarum, quibus divinitus

decoratus fuit, vel quod abundantiori spiritu esset donatus, sic ut perfectior esset cognitione divinorum, in conversatione et meritis...

» Si autem spectemus spiritus donum, quo Joannes fuit illuminatus et accensus, ac vitæ conversationem et merita, quanquam temere non sit asserendum de eo quod soli Deo cognitum est (quodque Christus non revelavit, secus actum esset)... tamen non videtur dubitandum quin perfectiori spiritu donatus fuerit præ aliis prophetis, ut clarius cognoverit mysteria Incarnationis Christi (quid Josephus !), sicut Christo vicinior erat... Sanctior etiam fuerit in conversatione et major in meritis... Apostoli autem postea videntur perfectiore spiritu donati et majores fuisse in meritis, qui mysteria evangelica videantur apertius cognovisse post acceptum Spiritum Sanctum et plura pro veritate perpessi, ac plures sua prædicatione Christo lucrifecisse. »

Estius (*In Luc*, vii).

« Conferendo hunc locum cum Matt., xi, et alterum ex altero supplendo, verus sensus videtur : Inter homines non surrexisse, non exortum esse et apparuisse majorem prophetam Joanne Baptista, tam ex officio quam vitæ sanctitate et exemplo... »

Benedictus xiv (*Lib.* iv, p, 2, c. 20, n. 56).

« Nec vero, quod pertinet ad s. Joannem, necesse est confugere ad illud Matt., *Non surrexit major*... Cum enim hoc intelligatur quoad sanctos V. T., nec Christum Dominum consequenter, nec B. Virginem, nec sanctos Apostolos comprehendit, uti ad rem argumentatur Maldonatus, Matt., xi. Breviter igitur et facile respondeo, Joannem, quemadmodum Hieronymus docet, non cum omnibus, sed solis cum sanctis V. T. comparari. At Christus et ejus Mater (et sane Josephus) omnesque Apostoli ad Novum pertinet Testamentum. Et sequitur Cornelius a Lapide in h. l. : « Non ergo Joannes hic comparatur cum Christo, B. Virgine vel Apostolis, qui Christum secuti sunt et ob dignitatem apostolicam Joanne non fuere minores, sed potius majores ». Adhæret Tirinus. ad h. l., et s. Hieron. ad hunc textum, nedum admittit Christum loqui de sanctis V. T., sed insuper addit s. Joannem non præferri, sed eis exæquari... »

Card. Gotti (T. 1, Tr. v, c. 4, n. 86).

« An vero Josephi dignitas major fuerit dignitate Præcursoris et Apostolorum ? Crederem Josephi dignitatem in aliquo sensu dici posse majorem dignitate Apsotolorum, quia ejus ministerium (quod tamen Emus Auctor minus perpendit) propius accedebat ad Christum, utpote viri matris et gerentis Patris ejusdem in quantum hominis personam, ideoque videbatur aliquo modo servire ordini hypostatico. (Dicit *aliquo modo*, quia forinsecus tantum illud ministerium consideravit.)

» Si tamen spectetur finis ob quem Christus venerat, proximius ei serviebant, tum Præcursor, qui ejus adventum prænuntiabat... tum Apostoli, quos elegit ut eum toti orbi annuntiarent... Unde in hoc genere major fuisse videtur dignitas tum Præcursoris tum Apostolorum. (Supra probavimus, neque in hoc genere, i. e. in ordine gratiæ, Præcursorem et Apostolos majores Josepho fuisse. Sed quodnam ministerium « proximius Christo servivit », illud quod concurrit ad ipsius existentiam, an illud quod concurrit tantum ut fructus Incarnationis et Redemptionis applicarentur? Ministerium s. Josephi etiam ad ordinem gratiæ pertinet, quamquam alia ratione ac minus publica, quam ministerium Joannis et Apostolorum. Igitur Emus Gotti minus consideravit ministerium s. Josephi ; attamen sic concludit.)

» S. Josephum colendum esse cultu quidem minori quam Christum, qui cultu latriæ colendus est, et Mariam, cui hyperduliæ cultus debetur, *sed summæ duliæ cultu super omnes*, lubens annuo, quia cum cultus sit testificatio honoris et excellentiæ, excellentia Joseph, infra excellentiam Christi et Mariæ videtur *summa.* »

Corollarium. Horum theologorum et commentatorum, quorum auctoritas a nemine in dubium revocabitur, quorumque seriem in longius protrahere vanum est (1), nullus locum Mat-

(1) Knabenbauer, S. J. Comment. in 4 Evangel. — Evangel. s. Matthæi, p. 431. — Postquam retulerit sententiam Toleti, addit : « atque eo modo, cum veteribus, quorum verba supra recitavi, censent plerique recentiorum, ex iis qui de ea quæstione mentionem faciunt. »

thæi et Lucæ ita intellexit, ut Joannes sanctitate et dignitate absolute prælatus fuerit omnibus sanctis.

Hæc conclusio omni legenti loca recitata in perspicuis est. Sed istud præcipue notatum velim, nimirum viros illos, pietate et doctrina eximios, non cæce scripsisse ; præ oculis vero habuisse Patrum et Traditionis documenta. Insuper s. Liturgiæ, quæ videtur Joannem omnibus anteponere, non fuerunt ignari vel immemores. Adde, illos, saltem plerosque, tunc scripsisse quum cultus s. Joannis maxima populorum devotione floreret. Nihiloque minus illi DD. moti fuerunt ut absolutam s. Joannis præstantiam affirmarent.

Ergo ss. Patrum loca, quæ dignitatem s. Joannis ita exaggerant, ut « post Deum nihil eo esse majus » dicatur, « prudenti moderatione accipienda sunt ». Sed de hoc statuenda est thesis specialis.

THESIS VIGESIMA OCTAVA

Ad majoritatem s. Joannis Baptistæ absolutam vel relativam nihil ex ss. Patribus evincitur.

Declaratio. 1° Testimonia Patrum, quæ ad majoritatem s. Joannis adduci possunt, si quid probent, probant majoritatem omnino absolutam ; vel, si hanc non probant, neque probant majoritatem relativam, utpote quæ, non ad theologiam exacta, sed ad laudationem duntaxat oratoriam dicta.

2° SS. Patres qui absolutam s. Joannis eminentiam prædicant, pauci numero sunt, ut ex locis jam recitatis patet ; alii verba Christi plus minus restringuunt.

3° Bene potuerunt ss. Patres dicere Joannem superiorem cunctis hominibus, quin inde sequatur eosdem affirmare s. Præcursorem esse in gloria omnibus sublimiorem : potuit enim Joannes excellere multis prærogativis, quin simpliciter excelluerit meritis.

4° SS Patres, ac præcipue græci, oratorio sæpe modo. maxime

in laudibus sanctorum, adeoque minore theologico rigore, locuti sunt, cujus testimonium mox afferemus.

Demonstratio. 1° Ut auctoritas Patrum vim in s. theologia faciat, necesse est potissimum ut appareat eos velle veritatem catholicam tradere, ac insuper requiritur ut quædam in eadem sententia sit eorumdem unanimitas moralis. Atqui in casu neutrum habetur.

Minor. A) Non datur unanimitas, quandoquidem, si unum aut alterum excipias, alii in alias sententias abeunt, immo in sententias contradictorias.

B) Non apparet eos velle veritatem catholicam tradere, *a*) ex eo quod deest unanimitas moralis ; *b*) qui absolutissimo modo verba Christi exponunt, iidem in aliis locis ab hoc sensu recedunt. Sic v. gr., Hieronymus et Augustinus, postquam generatim dixerint, Joannem omnibus majorem, subjiciunt ita esse accipiendum ut potuerit habere æquales.

Sed s. Chrysostomus, qui præcipuus et absolutissimus est s. Joannis laudator, sic ipsemet, in laudibus s. Pauli sententiam suam temperat. (Mig., 1, 2, col. 473). — « Quis Pauli meritis sufficiet sermo, cum omnia, quæ sunt in hominibus, bona una anima possideat, et ea cuncta atque cumulate quæ, non solum hominum sunt, sed etiam, quod est amplius, angelorum ?... Unde opportunius laudum ejus sumemus exordium, nisi ab hoc ipso primum, ut attendamus eum bona omnia possidentem ? Sive enim prophetæ potentius in se aliquid ostenderunt magisque mirabile, sive patriarchæ, sive justi, sive Apostoli, sive martyres, hæc omnia simul colligens Paulus, cum tanto habet cumulo, cum quanto nullus eorum bonum quo excellebat implevit. » . . . .

Et comparationem cum sanctis instituit ; subinde prosequitur : « Poteram quidem et Jesum Nave et Samuelem et alios prophetas in comparationem vocare, sed ne sermonem faciam longiorem, ad ipsa eorum capita conscendam. Cum enim istis excellentior apparuerit, nulla prorsus de aliis ambiguitas relinquetur. Quis, post hos, alius nisi David et Helias et Joannes, quorum unus prioris alter secundi est præcursor adventus ?... Sed Joannes in cibum locustas et mel sylvestre sumebat, at

Paulus ita, in mundi strepitu, quemadmodum ille in eremi quiete, versatus est, non quidem pastus locustis et melle sylvestri, sed multo his victu viliore contentus, ac nec necessario quidem indulgens cibo, præ fervore et studio prædicandi. Verum illius adversus Herodem magna constantia ; at iste, non unum aut duos aut tres, sed innumeros in simili positos potestate corripuit, imo longe sæviores tyrannos.

» Restat ut Paulum jam angelis comparemus ; ideoque relinquentes terram ad cœlorum fastigia transeamus. Si enim et Joannem et sacerdotes Dei Scriptura angelos nominavit, quid mirum si præstantiorem omnibus illis virtutibus Paulum comparemus ? »

Tom. 1, col. 645. — « Nemo magis quam Paulus Christum dilexit, nemo majus quam ille studium exhibuit, nemo majore gratia dignatus est. »

His perlectis, quæret forte aliquis, et quidem jure, uter Paulus an Joannes Chrysostomo visus fuerit major ? Ego facile suspicarer eloquentissimum Doctorem palmam Paulo dedisse, — si tamen alterutri revera dederit. Neque vero arbitror quempiam posse Paulum certo pronuntiare omnibus apostolis et angelis dignitate vel sanctitate superiorem.

Probatur 2° *thesis*. Quum, de re quapiam fidei, sententia Patrum habetur communis, impossibile est ut theologi, maxime præcipui, hanc non perspiciant et amplectantur ; ideoque si contradicunt aut posthabent, signum est hanc non esse sententiam Patrum communem ; atqui, in casu, superioritatem Joannis theologi neque perspexerunt apud Patres, neque amplexati sunt. Et certe hanc majoritatem perspexissent s. Thomas, Suarez, Toletus... Gotti, Benedictus XIV, qui omnes opera Patrum non modo perlustrati, sed vividissimo ingenii ac fidei lumine perscrutati fuerunt. Porro nullus est qui docuerit verba Christi esse absolutissimo sensu accipienda.

Probatur 3°. Signum nobis est hos paucos numero Patres minus stricte et acurate rem perpendisse, quod generalius locuti fuerint, comparationem non institutentes cum Apostolis aliisque Sanctis N. T. uti subinde fecerunt theologi et ss. Litterarum commentatores.

Sed 4°, si rationes attendamus, quas Patres hi panci in laudem s. Præcursoris adducunt, facile ratiocinando perspiciemus, sin minus Apostolos, at certe Josephum Beato Joanni longe præstare.

a) Exempli causa, quum Chrysostomus hanc rationem affert excellentiæ Joannis, quod, quomodo major in aula qui regi vicinior, ita et Joannes : quis non videt relativam Josephi excellentiam supra omnes inde consequi ? Quis, quæso, tam totque titulis, vicinus ac propinquus Christo, quam s. Josephus, tum per se, tum per ss. Sponsam ? Cæterum circa hoc Leo XIII omne dubium tulit.

b) Aliam rationem sic exponit Origenes : « *Mansit autem Maria cum Elisabeth quasi mensibus tribus.* (Luc, I.) Si eo quod venit Maria ad Elisabeth et salutavit eam, exsultavit infans in gaudio, et Spiritu Sancto plena Elisabeth prophetavit, et in una hora tantos profectus habuit, nostræ conjecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Joannes profuerit, assistente Maria Elisabeth. Valde quippe indignum est in puncto horæ atque momento exsultare infantem, per tres vero menses Joannem ex vicinia Matris Domini et ipsius Salvatoris nihil profecisse. » (*Hom. 9, in Luc*).

— Nota, obiter per transennam, modum argumentandi ductum *ex rei decentia*. — Absque negotio quisque videt quantum hoc argumento *nostræ conjecturæ* relinquitur ut Josephum asseramus in immensum superare Joannem. Etenim, non tribus duntaxat mensibus, adstitit Maria Josepho, sed totos triginta per annos ; neque vicinia tantum locali, sed ea etiam specialissima et unica, qua sponsa ad sponsum, mediisque in laboribus vitæ communis et quam intimæ. Adstitit Jesus, non tantum per Mariam, sed per semetipsum, vicinia Filii ad patrem, adstitit vita communi et cooperatione laboris, adstitit obedientia, adstitit filiali amore ineffabili...

c) Altera ratio, quam plurimum urget Chrysostomus : « Joannes, quia nuntiaturus erat Christum, statim in eremo nutritur, ibi crescit, non vult cum hominibus conversari. In eremo cum angelis philosophatur. » — Josephus, non solum cum angelis, sed cum ipsissimo Deo et Dei Genitrice, indesinenter, non con-

versatione modo, sed opere, curis, compassione, *theologatur*. « Tu vivens, Superis par, frueris Deo, Mira sorte beatior. » (*Hymn. fest.*)

THESIS VIGESIMA NONA

Verba Christi : « Inter natos mulierum major propheta Joanne Baptista nemo est », vel parallela s. Matthæi, nec necessario nec recte sunt accipienda, ut majoritas supra omnes cœlites significetur.

Declaratio. Hæc conclusio est corollarium præcedentium. Nam, etsi sensus verborum videretur majoritatem absolutam exigere, eo ipso quod Patrum dictis non fundatur et theologorum interpretationi adversatur, jure possumus ac debemus sensum istum non accipere. Sed,omissa Patrum ac theologorum auctoritate, directe probatur.

Demonstratio. Si majoritas absoluta ibi esset necessario accipienda, hæc vel ex verbis recitatis, vel ex verbis sequentibus pateret ; atqui neutrum ; ergo.

Minor. **1 Pars.** *Non ex verbis recitatis.* — *Observa* potuisse Joannem dici majorem multiplici de ratione : *a*) majorem cunctis prophetis, qui Christum prænuntiaverunt, et quidem præcise in munere prophetandi ; *b*) majorem iisdem prophetis, sub respectu sanctitatis ; *c*) majorem cunctis hominibus V. T., tum prærogativis, tum sanctitate ; *d*) majorem cunctis hominibus etiam N. T., præscindendo a ratione sub qua fuerit major ; *e*) tandem majorem cunctis hominibus, tum Veteris tum Novi Pacti, etiam sub ratione sanctitatis. Qua observatione præmissa, dico

Ex verbis Christi id unum evidenter erui potest : Joannem inter eos, qui Christum prænuntiarunt, æqualem non habuisse, aut etiam fuisse majorem.An vero fuerit omnibus prophetis, qui Christum prænuntiarunt, major munere tantum prophetandi, an etiam sanctitate ; an fuerit major, et quidem sanctitate, non modo omnibus anteactis prophetis, sed et omnibus justis V. T., uti Abel, Abraham Elias... an major generatim fuerit omnibus omnino hominibus,ac denique, an speciatim, sanctitate omnibus

præcelluerit, nobis discutiendum relinquitur, neque evidenter quidquam horum dubiorum solvunt verba Christi. Ergo non ex verbis Christi majoritas Joannis supra omnes cœlites probatur.

Antecedens. Verba Christi, apud Matthæum, sunt hæc : *Amen dico vobis, non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptista ;* apud Lucam : *Dico enim vobis, major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est.*

Unde, 1° Hæc verba sunt evidenter parallela, tum quia ipsammet Christi sententiam referunt, tum etiam, quia manifeste volunt eamdem sententiam exprimere. Ergo eumdem sensum fundant necesse est. Atqui, si ibi deberet intelligi majoritas Joannis absoluta supra omnes, nedum funderent eumdem sensum, contra funderent sensum omnino diversum, nam majoritas supra omnes prophetas, et majoritas supra omnes homines, omnino differunt. Ergo.

Revera, si Christus realiter dixit majoritatem absolutam, non potuit Lucas restringere ad prophetas, quin adulteraret et pessumdaret mentem verbaque loquentis. Nec ulla daretur hujus restrictionis ratio, quia, si Joannes dictus est realiter a Christo omnibus major, hoc ipso dictus est major prophetis, quin necesse fuerit exprimere. — Immo id exprimere non potuit non esse occasio invincibilis erroris, nam nihil apud Lucam indigitat, hanc restrictionem esse meram verborum redundantiam.

Adde, satis intelligitur Joannem dictum fuisse prophetam omnium majorem ; sed vix intelligitur dictum fuisse omnium hominum maximum, ac præsertim eo quod nescitur an absolute, sub omni respectu, vel sub certa quadam ratione. Ergo, si Christus dixisset revera Joannem dignitate et sanctitate omnibus hominibus majorem, requireretur ad ejus comprehensionem, sin minus evidentia, at certe quædam significatio ; porro, nedum detur hujusmodi significatio, datur apud Lucam significatio contraria. Ergo, ut minimum sententia Christi incomprehensibilis maneret ; immo fere sola acceptione falsa comprehensibilis esset.

2° Sed, quod majus est, Matthæus consonat Lucæ, ejusque restrictionem confirmat. Licet enim vocabulum *propheta* subticeat, re tamen toto contextu exhibet.

Joannes, qui prius Christum *Agnum Dei* prædicaverat, nunc in carcere detentus, quærit per discipulos an sit revera Messias ? Christus, præmisso testimonio miraculorum quæ passim operabatur, asserit Joannem esse prophetam et plus quam prophetam, ideoque, ut notat Thomas, eum non potuisse errare. — « Sed quid *existis videre ? prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te* (Malach., III). Hucusque concordat uterque Evangelista. Sequitur Matthæus *: Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista ; qui autem minor est in regno cœlorum major est illo. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud. Omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt. Et, si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.* (Hæc omnia subticet Lucas.)

Heic non agitur nisi de prophetis et de munere prophetandi, et quidem de prophetis, qui prophetaverunt usque ad Joannem : quomodo Christus sine ullo nexu, sine ulla significatione, intermisisset comparationem cum omnibus hominibus, et quidem sub respectu sanctitatis ? quomodo prosequutus fuisset, agens de solis prophetis ? Unde scite observat s. Thomas (*l. c.*), Christi scopum fuisse ostendere Joannem, in suo de Messia testimonio non errasse, eo quod esset propheta et omnium prophetarum major, proindeque, qua talis, ab errore alienus. Et Thostatus recte advertit : « Quia *propheta* dicit solam cognitionem, et quia comparatio debet fieri in univoco, si aliquis est plus quam propheta, oportet quod excedat cæteros in genere cognitionis propheticæ ; esse autem sanctiorem, vel minus sanctum, alienum est ab esse prophetam. Dicendum ergo quod Joannes est plus quam propheta, quia habet excellentiam quamdam circa rem propheticam, quia cæteri prænuntiaverunt, solus autem iste prænuntiavit et ostendit ».

Cæterum ipse Christus, apud Matthæum — quod non habet Lucas — totam mentem compendio tradit, dicens : *Et, si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* Elias non est nisi propheta, præcursor Christi secundo advenientis. Et sane Christus

non dixit Joannem esse Eliam sanctitate. Ergo, etiam apud Matthæum, ex toto contextu videtur Joannes, sicut apud Lucam, dictus major inter natos mulierum *propheta*. Profecto regula hermeneutices est, ut loca Scripturæ, prima fronte diversa, inter se concilientur et compleantur. Jamvero, si loca recitata sumantur seorsim, non videntur posse componi ; si autem sumatur textus Lucæ et *contextus* Matthæi, perfecta datur conciliatio et plenum complementum.

2 pars minoris. Non probatur majoritas Joannis ex verbis sequentibus.

Qui autem minor est in regno cœlorum major est illo. — Hæc verba, ut supra vidimus, triplicem apud Patres et theologos nacta sunt interpretationem. Hic *minor* intelligitur, vel minor in cœlis, vel minor in Ecclesia, vel ipse Christus. Si dicitur *minor qui est in cœlis*, certe Joannes non declaratus est major vel sanctior cunctis hominibus ; neque, ut patet, si hic *minor* dicitur ille qui minor est in Ecclesia, siquidem hic est major Joanne.

Non restat igitur dubium, nisi prout hic minor, qui dicitur major Joanne, intelligitur ipse Christus. Jamvero, in hac interpretatione, Christus, juxta Patres et theologos, nullo modo se comparavit vel excepit sub ratione sanctitatis sed solum sub ratione ætatis, initii prædicationis, celebritatis seu famæ acquisitæ. Ergo, quum majorem dixit Joannem, non agebatur de sanctitate ; nam instituit nexum inter utramque propositionem : *Qui autem*. Comparatio debet fieri in univoco.

At dices, Christus est omnium hominum maximus.— Utique, ac etiam Angelorum omnium ; sed probandum est voluisse his verbis supremam suam excellentiam declarare. Immo, si voluisset, iisdem verbis non potuisset ; nam altera propositio prior ab altera disjungi nequit ; ideoque, quum, ex dictis, propositio prior ad homines V. T. restringatur, posterior non potest ulterius progredi.

Adde, propositionem Christi esse affirmativam, non autem certo exclusivam, nimirum seipsum præfert Joanni, at minime dicit alium nullum præferri tunc, aut postea prælatum iri.

Confirmatur. Quum Joannes (Matth., III, 11) dicebat : *Ego qui-*

dem baptizo vos in aqua in pœnitentiam ; qui autem post me venturus est fortior me est, necesse non habemus intelligere : *solus omnium hominum* fortior me est. Eadem porro datur, in casu nostro, vis verborum logica.

Dices : Sed in tota Ecclesia, hæc mentibus persuasio insidet, quod verba illa : *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*, sunt de majoritate absoluta, et quidem de majoritate sanctitatis, intelligenda. Porro non potest errare opinio Ecclesiæ communis.

Nego *Majorem* et *minorem*. — Major est falsa eo quod, quum theologi magni nominis ac Patres dubitant de quapiam circa fidem assertione, aut contradicunt, non potest ista dici sententia in Ecclesia communis. Ad summum, potest esse opinio communis eorum qui quæstionibus theologicis difficilioribus, ac speciatim isti, non satis studuerunt. — *Minor* pariter est falsa, quia, non *opinio* in Ecclesia communis, sed communis sententia firma signum est veritatis. Jamvero hæc non est sententia firma, quam non admittunt magni nominis theologi.

Igitur, ex verbis tam Matthæi quam Lucæ, id unum evidenter constat, nullum prophetam, qui Christum prænuntiavit, exstitisse Joanne majorem. An vero fuerit Joannes Apostolis munere aut sanctitate major, incertum est, quanquam citra dubium fuerit sanctissimus.

THESIS TRIGESIMA

Etiamsi Christus Joannem majorem, et quidem etiam sanctitate, dixisset cunctis hominibus, in hac tamen universalitate Beatus Josephus non necessario deberet comprehendi.

Demonstratio. 1° « Sicut theologi dicunt dictionem exclusivam non excludere circumstantia, ita dici potest, cum nonnulli Patres asserunt solum Christum esse majorem Joanne, non excludi Virginem, sed potius cum Christo copulari et comprehendi. » (Suar., l. l.) Atqui, addimus nos, non excludi B. Josephum, sed potius comprehendi. Etenim, licet non sit B. Josephi

cum Virgine æqualitas, est tamen tanta sancti Patriarchæ cum Verbo Incarnato propinquitas, ut ab eo dissociari nequaquam possit. Sufficit meminisse ea quæ fuse supra, ac speciatim de ordine hypostatico disseruimus. Ministerium, cujus tota ratio fuit divini Verbi Incarnatio, comprehenditur sane in ordine unionis hypostaticæ : sed neque Apostolorum neque Joannis ministerium in hoc ordine comprehenduntur.

2° Sicut Scriptura nullibi errare potest, ita non potest sibi contradicere ; neque debet unus locus accipi independenter ac præcisive ab aliis. Ergo, quum Josephum ostenderit magis propinquum et proximum Verbo Incarnato ac ejus ss. Matri, omnia alia loca, quæ viderentur contradicere, debent intelligi juxta priorem jam factam declarationem.

3° Revera fuit Joannes aliquo modo Christo vicinior quam Josephus, sed *publice* tantum et *œconomice*. Scilicet Joannes fuit omnium vicinior Christo, non carnem assumenti, aut nascenti, aut exsulanti, aut pueritiam et infantiam exigenti, neque patienti, neque morienti, sed *evangelizanti* : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam, ante te. — Et si vultis recipere, ipse est Elias.* Quatenus igitur fuerit præcursor Christi missionem suam *publicam* aggredientis, fuit Christo propinquissimus. An vero munus præcursoris eum fecerit simpliciter Christo viciniorem, quam fecit Apostolos munus apostoli, id saltem incertum est, immo nonnulli negant, ac imprimis s. Thomas, qui neminem vult comparari vel exæquari Apostolis.

Cæterum, munus præcursoris, licet valde consentaneum Christo prædicanti et utile animabus ad Christum suavius trahendis, non fuit tamen necessarium. *Vos misistis ad Joannem et testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio : sed hæc dico, ut vos salvi sitis. Ille erat lucerna ardens et lucens. Vos autem voluisti ad horam exsultare in luce ejus. Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam, ea ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* (JOAN., v, 33.) — Et Matthæus, XI, 4. *Et respondens Jesus ait illis : Euntes annuntiate Joanni quæ audistis et vidistis. Cæci vident,*

claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.

Hæc porro missio Christi publica, ad salvandos homines, quid infinite minus fuit quam Christus in se. Josephus autem missioni quidem publicæ non adstitit, quanquam illam aliquo pacto præparavit ; sed adstitit ipsimet Incarnationi, adstitit Christo in se, tum nascenti, tum adolescenti...

Igitur Joannes fuit *publice* vicinior Christo missionem suam evangelicam exsequenti ; sed non fuit simpliciter Christo vicinior, tum maxime quum ipse Josephus missioni Christi, licet *privatim*, longe fuerit vicinior et eminentiore ratione.

Patres et ipsamet Ecclesia Joannem summis laudibus extulerunt, quia, quum toti essent intenti in prædicando Christum, quanto magis fulgebat Joannes, tanto magis splendebat Christus ; Josephum autem, qui, nedum Christo adderet splendorem, contra videbatur, oculis ethnicorum et hæreticorum, illum ob nubilare, silentio præterierunt. Verum hæc tantum fuit œconomia prædicandæ veritatis evangliecæ, quæ nihil de veritate objectiva potuit detrahere. Objective loquendo, manet munus ss. Præcursoris in ordine gratiæ, dum munus B. Josephi reponinitur in ordine unionis hypostaticæ. Et sane, si Christus Dominus hæc verba *Inter natos mulierum nullu major Joanne Baptista* non edidisset, nescio ego an, ex solo munere Præcursoris, aliquis cogitasset de ejusdem superioritate supra omnes sanctos ac speciatim Apostolos.

Verbis concludam hymmi ad Laudes *ss. Familiæ.*

Sol, qui pererrat aureo
Terras jacentes lumine,
Nil gratius per sæcula
Hac vidit æde, aut sanctius.

THESIS TRIGESIMA PRIMA

Quædam solvuntur objectiones.

Notandum. Objectiones sequentes (sicut plures quas supra solvebam) non a me inventæ sunt vel suppositæ, sed revera prolatæ ; ideoque easdem solvere pretium duco.

I. *Ex s. Thomas.* — « Temerarium est, ne dicam errorem, aliquos sanctos præsumere comparare Apostolis in gratia et gloria. Manifeste enim patet ex illo Apostoli : *Secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis* (*Eph.* I.) quod Apostoli habent gratiam majorem quam aliqui alii sancti, post Christum et Virginem matrem ». — Et illud confirmat s. Doctor ex Epist. ad Rom. VIII : *Nos ipsi primitias Spiritus habentes*, quod explicat dicens : tempore prius et cæteris abundantius. » — Sic. SUAR., d. 8, s. 2, n. 4.

Respondetur ex eodem Suarezio. — Dicta sententia non habet fundamentum in locis citatis, quia *a*) aliter exponunt Patres ac theologi ; quia *b*) si stricte sumantur, accipi debent de gratiis gratis datis, uti fert ipse contextus : *quæ superabundavit in sapientia et prudentia* ; quia *c*) ad summum hi textus deberent accipi de sanctis Novi Testamenti : Beatus autem Joseph non pertinet ad Novum Testamentum nec proprie ad Vetus, sed ad utriusque Auctorem ; *d*) tandem et maxime ex ipso s. Thoma (in MATT., III) qui interroganti numquid majores Joanne sint Apostoli respondet : non merito, sed officio Novi Testamenti. Et id sumpsit ex s. Anselmo, qui expresse dicit non esse Joannem in cœlo minorem Apostolis.

(Ubi obiter nota, hoc neque posse in quæstionem venire, si Christus dixisset Joannem omnibus majorem.) — Ita Suarez n. 5. — Ergo, addit, non potest doctrina s. Thomæ sic universaliter accipi, ut nullam liceat facere exceptionem, quo semel permisso, objectio jam nulla est, quum allata argumenta satis invicte demonstrent in favorem s. Josephi esse faciendam.

Unde concludit Suarez — quod, ut supra notabam, parvi non est nomenti, — « Nihil in Scriptura, aut in Patribus, esse quod opponi possit huic conclusioni nostræ de præstantia s. Josephi; neque ex usu Ecclesiæ, neque ex auctoritate, posse sumi argumentum contrarium. » (Hodie, ex usu Ecclesiæ, sumitur, in confirmationem, maximum.)

II. Sed ipse Suarez dicit esse cordati ac prudentis viri nihil temere aut nimium asseveranter super hac re affirmare, quia de sanctitate relativa Joseph tacet Scriptura et Traditio. »

Respondeo. Tria heic objiciuntur : 1° silentium Scripturæ,

2° Traditionis silentium, 3° auctoritas Suarezii, qui piam et probabilem sententiam nostram autumat, non autem certam.

Imprimis valde notandum est Suarezium loqui de *sanctitate* Josephi relativa, circa quam aliquantisper dubitavit, ob silentium Traditionis et Scripturæ. Jamvero *certitudo* de sanctitate Josephi relativa non requiritur, ut eidem possit cultus tribui *Protoduliæ*; satis quippe est, ut dignitas ejus et affinitas ad Deum agnoscatur summa : nam excellentiæ summæ et summæ affinitati ad Deum debetur cultus summus, ait d. Thomas. Ergo, quidquid sit de sanctitate Josephi relativa, qunm, de ejus summa excellentia et ad Deum affinitate dubitari non posse videatur, jure ac merito cultus ei debetur summus. Quo posito,

Ad primum. 1° Nihil contrarium, ipso fatente Suarezio, in Scriptura habetur.

2° Licet, in Scriptura, explicita mentio non fiat de relativa s. Josephi præstantia, implicite tamen satis significatur.

Inquirens Suarez « cur Dominus, qui fidem centurionis, Magdalenæ caritatem et Joannis laudes interdum prædicavit, numquam de Matre sua locutus sit », inter alia respondet : « studuisse tunc præcipue Christum divinam suam originem homines docere, qua cognita, facile erat excellentiam humanæ conceptionis Matrisque suæ dignitatem percipere ». (Præf., n. 6.) — Videtur idem de s. Josepho dicendum. Et profecto, qui sancti Patriarchæ cum Virgine et cum Christo relationes, supra evolutas, attenderit, facile sponsi ac patris excellentiam dignitatemque percipiet, qualem nulli creaturæ concessit Deus. Non tacet igitur Scriptura, quamvis non adeo explicite Josephum extollat.

Iterum Suarezius. « Pauca quidem verba de Virgine scripta sunt, quoniam tota Evangelistarum et Apostolorum intentio ad Christum referebatur ; quia, illo cognito ejusque fide satis fundata, non poterat occultari Matris ejus excellentia aut ignorari; in illis vero paucis verbis, iisque gravissimis, quædam præcipua capita indicata sunt, quæ omnia quæ de Virgine dici possunt virtute continentur ; quod in cæteris fere rebus, etiam in gestis a Christo quæ ab Evangelistis narrantur observare licet ; quum enim non possent Evangelistæ singula persequi, ea quæ

maxime necessaria erant attigerunt, ut ex eis reliqua intelligerentur.» (*Ibid.*)

Quare de B. Josepho idem non diceremus ?

Confirmatur. Supra Suarezium audivimus affirmantem abs dubio Christum Dominum præprimis ss. Matri apparuisse. Ratio sola et vera id affirmandi est, quod, licet Scriptura tacere videatur, reipsa tamen loquitur : *Et vos adhuc sine intellectu estis* ? (MATT., XI, 16.)

Ita , quum Mariæ sponsum ac Christi patrem Josephum retulerit, ejusque nonnullas cum Jesu et Maria relationes plane singulares descripserit, quumque *justum* eum proclamaverit, ea sane justitia, quæ talem ac tantam dignitatem debuit comitari, satis se iis qui valent intelligere dixisse computavit.

Ad secundum. Tacet *Traditio*. Hæc objectio, quæ proprie unica est et prima fronte valida videtur, facile se prodit falso laborantem supposito.

Etenim 1° Gratuito affirmatur tacere omnino Traditionem, ut ex pluribus supra recitatis verbis constat. — 2° Innuitur charisma doctoratus ita priorum sæculorum esse proprium, ut quidquid Traditione explicita non probetur, vanum sit aut incertum, quod adversatur, MATT., XXVIII, 20, ad *Ephes.*, IV, 11, quodque tum experientiæ, tum theologorum unanimi sententiæ contradicit. Insuper 3° supponitur heic de B. Josepho esse loquendum juxta providentiam ordinariam : ast Deus providentia usus est omnino speciali et mirabili circa s Patriarcham. Hoc autem bene intelliget, qui tria sequentia consideraverit : *a*) circa Josephum et ejus in Ecclesia cultum non indifferenti sed sollicita semper providentia attendit Deus ; *b*) hæc providentia, primis sæculis, quasi invigilavit, ut sancto Patriarchæ cultus fere nullus tribueretur, aut certe non is quem poscebat ejus in Ecclesia munus et dignitas ; *c*) sed a tribus præcipue sæculis tota in hoc est Dei providentia, ut cultus ille ad supremum fastigium evehatur.

Et *primo*, quod Providentia divina indifferens, ut ita dicam, non fuerit circa Josephi cultum, sed semper sollicita, fit palam ex omnibus dictis. Qui custos et pater fuit Domini sui dignus erat qui glorificaretur. Qui dignitati Mariæ accessit ut nemo

magis, dignus erat, qui eidem in cultu sociaretur. Qui divinitus initiis exorientis Ecclesiæ præfuerat, non poterat ab Ecclesiæ cultu extraneus fieri.. Et alia sexcenta quæ supra evolvimus.

At *secundo*, reapse Josephus, multa per sæcula, cultu nullo publico honestatus est, Digitus Dei est hic. Quis enim non videt considerationes superius factas ita obvias esse, apertas ac faciles, ut omnino capi non possit, citra specialem Dei interventum, Christi fideles et Ecclesiam quasine cogitasse quidem de tanto sancto laudibus extollendo. Sed crescit admiratio, si attendatur nomen ejus in Evangelio celebrari et fidem, primis sæculis, ac pietatem, sacris Libris inhærentem, longe fuisse robustiorem. Quod etiam patet ex cultu qui reddebatur s. Latroni, Josepho ab Arimathea, etc.

Sed *tertio*, a tribus sæculis, huic Deus cultui favet magis magisque amplificando, ita quidem, ut a ritu simplici usque ad solemnitatem 1 cl. conscenderit. Ut supra vidimus, nulla jam datur honoris testificatio, quam Ecclesia vel Christi fideles B. Josepho non retribuant, probatque Romanus Pontifex, dicens : « Nullo eum non esse dignum obsequio ». Hæc traditio est, quam possumus quisque oculis experiri. Etenim, quum aliquid, quovis tempore, in Ecclesia, theoretice vel practice, universaliter tenetur, id necessario fuit aliquo pacto transmissum, quanquam minus forte explicita prædicatione. (Cf. Franzelin, de Trad. th. 23.) Cæterum, ostendimus Traditionem, sicut Scripturam, fundamenta argumentandi statuisse, quibus facile eminentia s. Josephi superstruatur et stabilis ad summum conscendat.

« Non sine singulari Spiritus Sancti consilio, ait iterum Suarez, factum est ut nonnulla Virginis mysteria et privilegia, nec scripta sint, nec certa traditione recepta, ut occasio daretur fidelibus amplius meditandi et recogitandi hæc mysteria, loquendique ac scribendi de Virgine, *ex principiis traditis*, plura ratiocinando et colligendo. Quocirca etiam rationibus in hac materia utendum est, *quæ vel in dictis principiis vel in ipsa rerum natura* (connaturalitate) *et decentia fundatæ multum ponderis et efficacitatis in theologia habent*, ut recte Canus notavit, *et ex usu Patrum satis constat* ; ubicumque enim de mysteriis et perfectionibus tractant, rationibus ex decentia rei sumptis utun-

tur. »(d. 1, s. 1, n. 7.) Et supra dicebat : nutare plura Virginis ac ipsius Christi privilegia, si rationes hujusmodi e medio pellantur.

Quid nos porro fecimus, nisi, ut videtur, ex certis principiis a Patribus et a theologis *traditis*, ex rationibus connaturali ordine vel decentia fundatis, præstantiam s. Josephi stabilire? Ergo, si hujusmodi processus supplet Traditionis defectui, eccur a nobis, quum tot ex capitibus hanc argumentationem fuerimus prosequuti, explicitum Traditionis desideretur monumentum ?

III. Urgetur tamen objectio ex s. Thoma. « Præsumptuosum videtur hoc judicare (Petrumne an Joannem plus dilexerit Christus), quia, ut dicitur Prov. XVI, Spirituum ponderator est Dominus. » (1. q. 20, a. 3.)

Et isthæc objectio manet ex dictis soluta ; quapropter paucis. Duo sunt aut, si velis, tria quæ objiciuntur : Scripturæ auctoritas, allatum exemplum, auctoritas s. Thomæ. Ad singula ex ordine.

Ad *primum*, sic in forma scholastica : *Spirituum ponderator est Dominus*, ita quidem ut solus quidpiam cognoscat quod nullo modo manifestavit, *Conc.*, quod autem ipse aliquo pacto et satis manifestavit, *Neg.* Responsio ex dicendis constabit.

Ad *secundum*. Exemplum istud rei nostræ minime aptatur. Enimvero ad judicandum Petrumne an Joannem Christus prædilexerit, rationes sunt hinc inde ejusdem fere virtutis : ast ita non est de B. Josepho, quem certe Christus dilexit titulis omnino specialibus, ipsius propriis ac summis. Sed quæro : præsumptuosum est affirmare Christum potius dilexisse Petrum quam s. Luciam aut s. Agathonem ? Porro rationes id abs dubio affirmandi ponderis videntur esse minoris quam illæ omnes a nobis superius allatæ. Quemadmodum ergo, Petrum et Joannem sibi eligendo apostolos, Christus manifestavit se eos potius dilexisse quam cæteros, ita, quum Josephum sibi patrem assumpsit, manifestavit se omnibus eum amore, silicet filiali, prætulisse.

Ad tertium, Et hoc plane sensu accipiendum est verbum s. Thomæ, hæc ejus certa mens. Ipse enim affirmat neminem in nova lege posse Apostolis comparari : comparationem ergo inter

sanctos instituit, neque temerarium arbitratur, quum rationes succurrunt, sententiam certo et aperte pronuntiare. Jamvero ex ipsius principiis, auctoritate Patrum et theologorum confirmatis, probavimus Josephum a Christo fuisse prædilectum.

Cæterum s. Thomas, hoc in eodem articulo (ad 1m) rationem nobis suppeditat luculentam. « Dicendum quod Deus Christum diligit non solum plus quam totum genus humanum, sed etiam magis quam totam universitatem creaturarum, quia silicet ei majus bonum voluit, quia dedit ei nomem quod est super omne nomen. »

Ex quo eruo 1° Deum eo magis aliquem diligere, quo propius et magis intime Christo accedit, titulis, officiis, obsequiis. Jamvero Josephum Christo propiissime accessise, titulis, quam intimis, eique obsequia præstitisse omnigena, uti nulla creatura præstitit, nemini dubium esse potest. Præterea 2°, Christum Deus dilexit « quia ei majus bonum voluit, quia dedit ei nomen super omne nomen. » — Atqui Josepho Deus voluit bonorum omnium summum, Æternum, qui est in sinu Patris, Unigenitum. Rursus nomen Deus dedit Josepho, quod est super omne nomen alteri creaturæ concessum, videlicet nomen sponsi Dei Genitricis et parentis Verbi Incarnati. Ergo Josephum Deus præ omnibus dilexit.

In corpore articuli, Angelicus argumentationem, quam supra fecimus, non minore vi ac evidentia, auctoritate sua firmat. « Deum diligere magis aliquid, nihil aliud est quam ei majus bonum velle ; voluntas enim Dei est causa bonitatis in rebus... Unde sequitur quod meliora plus amet. »

Id est amando magis quempiam, meliorem eum facit. Porro ex omnibus quæ late disseruimus, Josephum Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, supra omnes, post Mariam, certis titulis amavit ; ergo eum meliorem effecit. Sed hæc satis.

IV. Restat breviter solvenda exceptio, quam movebat clariss. Lambertini, ne nomen Josephi nomini Joannis Baptistæ in Litaniis præponeretur.

« Totum fundamentum præferendi s. Josephum s. Joanni Baptistæ constituitur in majori illius sanctitate, de qua tamen nullam habemus evidentiam ; tum quia deest Scripturæ aucto-

ritas, tum quia non adest Ecclesiæ traditio. Quocirca Suarez, qui primus docuit s. Josephum majorem gratiam obtinuisse s.Joanne Baptista, addit: tantummodo id esse probabile, sed non certum. » — Atque iterum : « Hac via procedendo (sc. sanctitatis majoris vel minoris), tanquam certum admitteretur Ecclesiam in Lataniis ordinem deducere a majori vel minori sanctitate sanctorum, quæ res periculosa videtur ; quis enim est qui, seclusa revelatione divina, dicere possit s. Antonium majorem fuisse sanctitate s. Benedicto, vel s. Agatham majorem fuisse s. Lucia, et sic de cæteris? » (de Can. ss. l. 4, n. 46).

Ante responsionem observo, 1° hæc exceptio, quæ respicit tantum in Lataniis ordinem, æque impugnat cultum *Protoduliæ*, atque ideo eodem modo solvenda est. 2° Auctoritas Suarezii, quæ adducitur cum ejus duplici fundamento, manet, nisi fallor, enervata. 3° Clariss. Lambertini, ut supra probavit Aloys. Marchesi : vix summis labris Josephi dignitatem (ac sanctitatem) attigit. 4° Præcedentia Josephi ante Joannem bene componi potest absque istius injuria, ut infra, cum eodem Aloys. Marchesi, dicetur. Quibus præmissis,

Respondeo 1° Sanctitas s. Josephi ejusque in cœlis gloria supra omnes cœlites videtur in tuto posita. Non uno aut altero rationis momento id probatum est, sed multis, quæ, saltem si omnia sumantur simul, certitudinem theologicam pariunt.

2° Sanctitas Josephi, nedum sit cultui *protoduliæ* « totum fundamentum », sed neque requiritur, neque adducitur. Fundamentum cultus *protoduliæ* totum potest constitui in sola s. Josephi dignitate, quæ, quum supernaturalis sit et ordinis hypostatici, omnem aliam dignitatem superat atque etiam ab omni alia specie differt.

Huc inflectere possum, servatis servandis, quæ Suarez de Beata Virgine disserit. « Dices : Ergo adoratio s. Petri, propter dignitatem apostolicam, vel s. Joannis, propter dignitatem Præcursoris erit etiam diversæ speciei.

» Respondetur non esse eamdem rationem, tum quia hæ non sunt dignitates, quæ, præcisive sumptæ, sint sufficiens ratio religiosi cultus, de quo nunc loquimur, sed sunt ministeria quædam, quæ, conjuncta cum gratia, conferre possunt ad ma-

jorem quemdam honorem et venerationem, tum etiam quia illa omnia ministeria ordinantur ad gratiam sanctificantem, et ita est quod in eodem ordine constituuntur ;... dignitas autem Matris Dei in utroque excellit. »

Revera « istæ dignitates » totam suam excellentiam ducunt ex gratia, in cujus ordine concluduntur et a quo specificantur : ergo, si sumantur præcisive a gratia, nullæ sunt ; si sumantur cum gratia, honor quem sibi merentur non est specialis a gratia. Dignitas autem Matris Dei excellentiam suam ducit, non a gratia sanctificante, sed ab ordine unionis hypostaticæ, in quo reponitur et a quo speciem sortitur. Ideoque dignitas Matris Dei, etiamsi esset sine ulla gratia sanctificante, cultum religiosum mereretur, propter affinitatem specialissimam et unicam, utique supernaturalem, cum Deo Incarnato : omnis enim dignitas supernaturalis, relationem dicens specialem ad Deum in se, specialem meretur, propter ipsum Deum, venerationem.

Ministerium s. Josephi ordinatur immediate, non ad gratiam præcise, sed ad Auctorem gratiæ ; atque ideo, independenter a gratia, excellentiam habet et affinitatem ad Deum specialem, quæ certe, utpote supernaturalis, cultu religioso potest honorari. Et sane dignitas s. Josephi vel est ordinis hypostatici, vel nulla est ; nam, si non est ordinis hypostatici neque est ordinis gratiæ, quum ministerium ejus non pertineat ad ordinem gratiæ, nisi quatenus pertinet ad ipsammet Incarnationem ; unde sequeretur excellentiam et affinitatem ad Deum, quæ ex ministerio resultant, nullam competere s. Josepho. Hoc autem nemo dixerit. Ergo, quemadmodum cultu hyperduliæ Matri exhibito imprimis honoratur Verbum Incarnatum, quod est tota ratio *determinans* et *dignificans* maternitatem divinam, ita cultu protoduliæ imprimis honoraretur idem Verbum Incarnatum, ad quod specialissima relatione ordinatus est Josephus. Qui quam proxime accessit ad maternitatem divinam, dignus est qui quam proxime ad cultum hyperduliæ accedat.

Verum, hanc rationem specialissimam cultus independenter a gratia si quis negaverit, saltem confitebitur ministerium s. Josephi præstare *ministerio* s. Præcursoris et Apostolorum, tum objecto *terminante*, tum objecto *determinante*, videlicet di-

vina Persona Incarnata,ad quam directe et per se ordinem dicit, dum alia ministeria directe ac per se ordinem dicunt ad gratiam et ad animas sanctificandas. Ergo saltem « conjunctum cum gratia », ministerium Josephi præ aliis, « majorem quamdam venerationem meretur ».

3° Si s. Mater Ecclesia huic nostræ petitioni annueret, nullum periculum foret, quod pertimescere videtur cl. Lambertini. Enimvero, quum, fatente ipso Auctore, notum in Ecclesia sit ordinem in Litaniis (in Liturgia) observatum non referre ordinem sanctitatis relativæ,nemo prudenter posset ex præcellentia cultus concludere præcellentiam sanctitatis. Hoc unum colligeretur : Ecclesiam solidas rationes habere Mariæ conjungendi in cultu eum qui eidem accessit ut nemo magis dignitate. —(Cf. Suar. 3, q. 29, d. 8, n. 2) — Cæterum Spiritus Sanctus incommodum nullum duxit relationes referre Josephi cum Maria et Jesu, ex quibus facile fideles suspicari possent, Beatum virum omnibus sanctiorem : quid magis timeret Ecclesia ?

Multis jam probata documentis dignitate summa summaque Josephi sanctitate, difficultatibus ratione plurima solutis, jure mihi videor concludere posse, nihil obstare quominus ab Ecclesia gloriosissimo Patriarchæ cultus decernatur duliæ supremus, seu, ut loquuntur Patres Vaticani, « cultus publicus, post Mariam, præ omnibus aliis cœlorum Beatis. »

Et, si ratum sit Deum Optimum Maximum voluisse,antequam plene glorificaret in terris Sponsum illum et Patrem sanctissimum, ut mysteria omnia et privilegia Matris ac Filii condigna laude celebrarentur, summi non videntur ulterius Josepho differendi honores, quum, revelato Sacratissimo Corde ac definito Immaculato Conceptu, Jesu et Mariæ cultus jam perfectissimum obtineat culmen et complementum.

PETITIO ALTERA

DE NOMINE JOSEPHI IN MISSA RECITANDO

Ut venerabile Josephi nomen, ceu supremi, post Dei Genitricem, Ecclesiæ catholicæ Patroni, in Missæ sacrificio, nempe in *Confiteor*, in orationibus, *Suscipe*, *Sancta Trinitas*, *Communicantes*, ac *Libera nos*, post dulcissimum Mariæ nomen, invocetur.

PETITIO ALTERA

DE NOMINE JOSEPHI IN MISSA RECITANDO

Sola objectio, quæ huic petitioni obstare potest, huc tandem redit, quod « sacra Liturgia, utpote admodum veneranda, facile non debeat immutari, præsertim in Missæ sacrificio ».

Id quis neget ? haud ego certe, nec alius quivis. Ast, si petitioni nostræ annueretur, fieretne *de facili* mutatio ? hæc est proprie quæstio, quam forte non satis videntur attigisse ii pauci qui obsistunt ne nomen Josephi Missæ sacrificio inscribatur. Et profecto, *a priori*, quod a Sancta Sede *postulant* ex toto orbe *sexcenti* Episcopi, id non potest gravissimis rationibus non fundari...

Tria porro requiruntur, ac plane sufficiunt, ad petitionem factam omnino stabiliendam : 1° possit Summus Pontifex Missæ petitam additionem facere ; 2° rationes, eæque graves, suppetant id faciendi ; 3° nullum inde resultet incommodum. Hæc est paucis summa totius quæstionis a me tribus articulis absolvendæ.

I

POTEST SUMMUS PONTIFEX

Et quidem, ante omnia, teneatur s. Liturgiam, cultum scilicet externum Deo sanctisque sacrum, prout ab Ecclesia statuitur vel adprobatur, esse ac semper fuisse summa veneratione habendam. Illud autem satis constat, tum ex eo quod Ecclesia nobis est universalis magistra veritatis, tum ex sola s. Liturgiæ consideratione, quæ ita purissima ac solida pietate plena est, ut eam ex divino quodam instinctu processisse fatendum sit.

Hoc alte menti infixo, dicitur *primo*, posse summum Pontificem mutationem, seu potius additionem petitam concedere.

Revera id a nemine negatur vel negari potest. Synodus Tridentina, sess. 22, agens de Canone, docet, hunc constare ex ipsis Domini verbis, ex Apostolorum traditione, ac *Summorum Pontificum institutionibus*. — Ergo, sicut plura,in Canone, a Pontificibus instituta sunt,ita et alia ab eorum successoribus possunt institui.

Unde prima fronte, inutilis forte hæc præsens quæstio alicui videbitur. Sed res non ita habet. Dum enim quidam id posse Pontificem concedunt — nec possunt non concedere, — ita quidem concedunt, ut impossibilitatem quamdam moralem, ne id unquam fiat, adstruere videantur. Et ideo necesse omnino est hanc primam quæstionem accurate solvere, ut aperte pateat quo pacto possit Summus Pontifex additionem in Missa vel mutationem inducere. Quod ut exsequar adpellabo ad ea quæ, decursu temporum, circa Missam, decreta et facta sunt.

Prosp. Lambertini, minus forte per seipsum rei expers ac nimium uni aut alteri auctori confisus, scribebat : « Post s. Gregorium, nullus Romanorum Pontificum quidquam in Canone inseruit aut immutavit ». — Hanc eamdem assertionem quidam

non satis prudentes accipiunt et recantant, ut nominis Josephi insertionem in Missa omnino impediant.

Etiamsi hoc eis daretur, numquid quæstio *facti* quæstionem *juris* solvere vel tollere potest? Super hoc Aloys. Marchesi (p. 205) : « Quatenus hoc quod de intacta Canonis forma a temporibus Magni Gregorii asseritur, *certissimum* foret, prout affirmat doctissimus Lambertini, nescio quomodo a veritate facti erui posset juris conclusio, quasi subsequentes nostri temporis Pontifices, eadem, qua Gregorius et ejus successores, potestate haud pollerent. Si vero his licuit aliquid vel addere vel immutare in vetustissimo Missæ Canone, nescio cur hoc idem, justis de causis, sequiorum sæculorum Pontificibus non liceret ».

Prosequitur Marchesi :... « Sacer Missæ Canon omni profecto veneratione dignus ; venerabiliorem tamen symbolo Nicæno-Constantinopolitano minime crederem. Et tamen omnes norunt quomodo huic symbolo, quod jam sæculo IV a Synodis Œcumenicis Nicæna (325) et Constantinopolitana (381) conditum fuerat, sequiori ætate additum sit comma *Filioque*, frustra obnitentibus ac murmurantibus Græcis... Romanorum Pontificum decreto hoc ipsum additamentum receptum fuit, ut ostendit Baronius, anno 883.

» Non hic (in Postulato nostro) quæstio est de nova quavis sententia Canoni inserenda, non de qualibet ejus parte, vel minuenda vel quomodocumque immutanda, sed, ipso *integre*, prout a sæculis jacet, retento, agitur de uno tantum nomine interponendo. Hinc, prout jam dixi, quatenus etiam probari posset id quod asserit præclaris. Lambertini, nempe certissimum fore post Gregorium M. nihil in Canone esse additum, ex hoc haud sequeretur, nihil auctoritate legitima, justaque de causa, addi posse ».

Hactenus Marchesi ; subinde in medium profert varias mutationes in ipso Canone factas. Ego paullo plenius ostendam plures hujusmodi mutationes admissas fuisse in toto fere Ordinario Missæ. Mea sane mens non potest esse totam hujus materiæ historiam texere, quam apud Lebrun, Card. Bona, Martene, Romsee, Gavantum, etc., legere quisque valet. Sufficiat diversitates nonnullas annotare, quo melius percipiatur posse Pontifi-

cem *omni morali possibilitate* aliquid immutare vel addere. Omnia quæ dicam ex uno aut altero horum AA. fere ad verbum exscribam.

Psalmum *Judica* habet Missa Illyrici, quæ ad sæc. VII refertur. At certum est tunc temporis non ubique in Missa lectum fuisse, siquidem de eo silent primi ordines Romani. Circa initium sæc. XII cœpit in Missa locum tenere ; illius quippe meminit Micrologus et postea sæc. XIV ordo Romanus 14. Missale recognitum a Paulo III et impressum an. 1550 relinquit arbitrio sacerdotis ut hunc Psalmum legat alta vel submissa voce. Sed advertit *Paris Crassus* sua ætate liberum fuisse Psalmum dicere vel omittere ; ita ut illius lectio in præcepto sacerdotibus, Ritum Romanum sequentibus, fuerit posita a Pio V in nova Missalis Romani recognitione.

Confiteor. Quamvis hujus confessionis initium traditum non sit, hujus tamen moris antiquitas neganda non est. Attamen, si excipiatur Missa Illyrici, ante sæc. VIII nulla fit mentio in libris liturgicis alicujus formulæ confessionis ; hujus enim nullum verbum in Missali Gothico, in Sacramentario s. Gregorii, in antiquo Missali Mozarabico, nec in primo ordine romano, sed tantum in secundo, idque terminis vagis, nempe : « Pontifex postquam in medietatem chori perducitur, inclinans se ad Deum, pro peccatis suis deprecatur ». In Micrologo et in Missali Pauli III semel ponitur « Mea culpa ». Tandem in ordine romano XIV confessio, quæ diversis verbis erat concepta in Ritualibus ac Missalibus, formam accepit, qua eam recitamus, excepto quod in ea legatur : *quia peccavi nimis... delectatione, consensu* ; hoc in Missali quo utimur Pius V jussit omitti.

In Missali Romano ms. bibliothecæ Barberinæ confessio his verbis exprimitur : « Confiteor Deo omnipotenti et B. M. V. et BB. apostolis Petro et Paulo, s. Augustino, s. Hieronymo, et omnibus sanctis et vobis, pater... »

Insuper s. Pius V Hispaniarum Ecclesiis concessit nonnulla sanctorum nomina addere, quod et in aliis ante Ecclesiis solebat fieri. Præterea plures ordines religiosi jus retinent nomen sancti sui Parentes addendi, uti notum est.

Oratio *Misereatur* invenitur in confessione s. Fulgentii, in or-

dine romano, in Missa s. Gregorii et in Micrologo, sed sub forma paululum diversa ab ea qua utimur, reformato Missali a Pio V.

Oratio *Indulgentiam* non legitur in omnibus locis modo citatis, sed tantum in Micrologo et in Missa s. Gregorii.

Deus tu conversus in antiquis passim Missalibus non invenitur ; habetur in Meldensi, in quo additur : *Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix...* Vero simile est ex hoc Missali versum hunc transiisse in Romanum sub Pio V, in quo additus fuit versus : *Domine, exaudi orationem meam.*

Kyrie. Primitus non fuit definitum quoties repeteretur. Quin circa sæc. XIII invaluit usus aliquos versus harmonicos interponendi inter *Kyrie* et *eleison* ; sed penitus extinctus est a Pio V.

In *Gloria* plures fiebant additiones intercalares, usque ad tempora C. Tridentini, quæ, quum producerentur ex particularium devotione, ab Ecclesia, post C. Tridentinum, fuerunt ex toto resecatæ.

Alia mitto, quæ legi possunt apud AA. laudatos.

Suscipe, Sancta Trinitas. Quando hæc oratio in Liturgia locum habuerit, non constat. Interim invenitur in Missali Illyrici, quod est sæc. VII ; item in duobus antiquis Ultrajecti impressis, et in aliis paucis quibusdam. Notat Micrologus, qui scripsit circa sæc. XI, nondum in Ordinem Romanum fuisse invectum, neque in ordinem Gallicanum. Quum autem diceretur ex sola devotione, hinc factum est, ut in quibusdam Ecclesiis nunquam dicta fuerit. In Ecclesiis vero in quibus dicebatur, id non ubique eodem modo.

Suscipiat (post *orate, fratres*) olim non dicebatur, sed, vel secreto orabatur, vel aliæ variæ fiebant orationes, quas refert auctor sæc. XIII, dicens, ministrum Ritu Romano unam vel aliam, pro lubitu, assumere. S. Pius V fixit orationem *Suscipiat*, aliis exclusis.

In *Canone. Memento.* Primis Ecclesiæ sæculis, quando fideles Missæ adstantes panem et vinum in confectionem Sacrificii offerebant, solum legebatur : *qui tibi offerunt*, ususque hic viguit usque ad sæc X, uti evincitur ex Missalibus sæculum istud præcedentibus. Sacramentarium Salvanactense (887) ferebat : *pro-*

quibus tibi offerimus, sed erat quid proprium illi Liturgiæ, e qua transierunt, dicto tempore, in Romanam et cæteras.

Robertus Sala, in card. Bona., 1. 2, c. 11, scribebat : « Summi quidem Pontifices ante Gregorium aliquid canoni præstiterunt ; post ipsum enim nemo alius quidquam addidit aut immutavit. » — Porro eodem loco et cap, 11, §5, hæc leguntur : « Olim, eo tempore, quo oblationes ad altare deferebantur, non dicebatur in hac oratione (*Memento*) *pro quibus tibi offerimus vel*, sed tantummodo : *qui tibi offerunt* ; quod eruitur ex omnibus pene Sacramentariis ante sæc. x conscriptis... Hæc autem additio facta communiter non fuit nisi circa annum 1000. Dixi, communiter ; in aliquibus enim Sacramentariis ante illud tempus inserta jam fuerat, in Sacramentario Sylvanactensi (solum istud citatur), anno 880 exarato... Primi auctores, in quibus hæc legatur additio, sunt Petrus Damianus et Micrologus, sæc. xi. »

Quo igitur pacto potuit idem Robertus Sala paullo superius dicere : « Post Gregorium neminem alium Canoni quidquam addisse aut immutasse » ? Nisi forte effugiat dicendo : Neminem *alium Pontificem*. Sed revera non potuerunt hæc quinque verba : *Pro quibus tibi offerimus vel*, adjungi Canoni nisi de facultate Pontificis. Ergo etiam falsum est, « neminem *alium Pontificem*, post Gregorium, quidquam Canoni addidisse aut immutasse ». Erunt forte qui primum locum Roberti Sala nobis opponant : faveant et secundum referre. — Prosequamur.

Olim, juxta Martene, nomina eorum, qui sub *Memento* commendabantur, in Missa privata, a sacerdote clara voce exprimebantur, in solemni, a diacono vel subdiacono ; hicque usus usque ad sæc xii perseveravit.

Communicantes. In Ecclesia græca pariter et latina, mos fuit olim ut hujus sancti adderetur nomen cujus erat festum. Hujus ritus Walf. Strabo auctorem facit Gregorium III. — « Instituit, inquit, in Canone a sacerdote dicendum : *S. N. vel SS. NN., quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ Majestatis celebratur, Domine Deus Noster, in toto orbe terrarum.* »

In codice Vaticano, qui videtur sæc xi, post nomina Cosmæ et Damiani, inveniuntur : *Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Ambrosii, Benedicti et Isidori*. Quum autem hæc

nomina non videantur transiisse in alios Rituales, credendum est hunc ritum in sola Urbe, vel in solo illius Districtu, aliquo tempore viguisse. (In multis Missalibus hæc vel alia nomina leguntur.)

Scribit Robert. Sala (l. l., c. 12 § 2) : « In quibusdam aliis sacris codicibus, post dicta sanctorum nomina, additur : *Necnon et illorum Martyrum, quorum hodie solemnis in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus.* Quæ verba videntur addita fuisse ex institutione Gregorii Pp. III, de quo Liber Pontificalis : *In canone Missæ*, etc. »

Atque idem Rob. Sala (Ibid.§3) : « Paschalis Pp. I, in Bulla ad Begonum abbatem Conchensem, indulget Conchensibus monachis, ut memoriam s. Fidis faciant in Canone. » — En igitur duo Pontifices, qui teste Rob. Sala, post Gregorium M., sæc. VIII et sæc IX, aliquid, justis de causis, sacro Canoni interponere haud hæsitarunt. — Quod id non fecerint pro tota Ecclesia, respondebitur infra.

Sed gravius quod narrat Matthæus Paris, gravius, inquam, quia agitur de additione ubique indulta, seu probata, a Summo Pontifice, in Concilio Œcumenico, scilicet Lateranensi IV, ineunte sæc. XIII. — « Aderat, ait Paris, tempus, quo omnes Prælati christianitatis generaliter ad Concilium, sub Innocentio III Papa celebrandum, convocarentur... Cum igitur, præsidente Papa, jam plenum concilium celebraretur, omnibus Prælatis convocatis, cum inter sermocinandum tempus idoneum expostulasset, Abbas (Gulielmus s. Albani), erectus in medio, satis modeste et eleganter exorsus est coram Papa et toto Concilio, suam sic in propatulo quæstionem : *Sancte Pater, nos qui alicujus sancti corporis in Ecclesiis habere dignoscimur, licetne nobis in Secreto* (Canone) *Missæ, inter alios, quos invocamus, suffragatores, nomem ipsius recitare ? Desideramus super hoc certificari. Quia, quod in hoc Sacro Concilio diffinitur, scimus quod robur obtinebit perpetuæ firmitatis.* Ad quod, in audientia omnium, respondens Papa, non tamen præcipitanter, sed circumspecte, dixit : *Videtur mihi dignum jurique consonum ut devote in Secreto Missæ, videlicit in serie primorum nominatorum, Sanctus, cujus corpore aliqua gratulatur Ecclesia, nomen ejus suffra-*

giumque, in loco suo proprio, merito postuletur. Et quievit Abbas super hoc certificatus, quia tunc de Missa et de pertinentibus Missæ, ante hoc verbum, diligens in Concilio tractatus habebatur : et præceptum est abradi quædam quæ diu antea fuerant usitata. Congratulabantur igitur multi, gratias agentes Abbati Gulielmo, in quorum Ecclesiis corpora requiescunt, plenius per ipsum edocti, quid facere debuerunt. » — (Vitæ duar. off. § Guliel., p. 76, Edit. Paris, 1644).

Ex hac igitur narratione edocemur, Innocentium III, doctissimum simul et peritissimum, in Concilio Lateranensi IV, anno 1215 celebrato, dum quæstio de Missa moveretur et multa longo usu solita abraderentur, non præcepisse quidem, sed tamen solemniter probasse, tanquam dignam et juri consonam, additionem in sacro Missæ Canone, non pro hac aut illa Ecclesia, sed generatim pro omnibus, *ubi sanctorum corpora requiescunt.*

Matth. Paris monachus fuit s. Albani, sicut Abbas Gulielmus, de quo narrat; fuit hujus Abbatis et Innocentii III ac Concilii Lateramensis IV pene coævus ; mortuus enim est an. 1259 aut 1256. Unde agit de re quasi domestica, de re gravissima et satis recenti, cujus testimonia in tabulario monasterii deesse non poterant, de re tandem quam multi adhuc poterant facile comprobare, aut, veluti confictam, respuere ac profligare.

Circa eamdem facultatem nomina superaddendi, quamvis a sæc. XI abolita fuerit perantiqua consuetudo fidelium nomina, sive vivorum sive defunctorum, in duplici *Memento*, recitandi, usus tamen, vel saltem jus, aliqua fidelium nomina ibidem commemorandi hucusque perseverat. Etenim, in Missalis Romani rubricis legitur : « Cum (sacerdos) dicit *Memento, Domine,* elevans et jungens manus... faciens commemorationem vivorum Christifidelium, ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secreto commemoret; non tamen necesse est ea exprimere. » — Hanc rubricam rei liturgicæ periti intelligunt de licita nominum ore tenus expressione, quæ linquitur arbitrio sacerdotis.

Per eumdem Christum (in fine *Memento*), *eumdem* fuit appositum circa sæc. XIII, fuitque insertum sæculo sequenti in Ordine Romano XIV. Pariter *Amen*. Olim unum solum dicebatur *Amen* in fine *Canonis.*

Hanc igitur antiquissima oratio est. In multis antiquis Missalibus legebatur : *servitutis meæ* et in Illyrico, *humillimæ*. Ultima verba a Gregorio I adjecta sunt, idque, juxta Lopez, occasione pestis et belli. — Illyricus hanc orationem, valde tamen a prsæsenti dissimilem, locat ante *Communicantes*.

Manuum expansio super oblata a quinque circiter sæculis viget.

Supplices. In Constitutionibus apostolicis alia habetur formula, quæ orationi *Supplices* respondet : « Adhuc atque adhuc oramus... ut Deus, qui bonus est, illud (sacrificium), mediante Christo suo, recipiat in cœleste suum altare ad odorem suavitatis ».

In Missali bibliothecæ Vaticanæ (s. XI) exstat oratio dicenda inter orationem *Supplices* et *Memento*. Porro in hac sacerdos offerebat sacrificium, in honorem mysteriorum Christi, B. V. M., et omnium Sanctorum, pro se peccatore, parentibus et benefactoribus. Videri potest integra apud Bona. Alterius orationis fere ejusdem tenoris meminit Durandus ; sed hæ postea fuerunt e Missalibus erasæ.

Nobis quoque peccatoribus. In antiquo Missali Vaticano, post *Anastasiam*, legitur, *Euphemia, Victoria et Anatholia*. Alias additiones habet Card. Bona, ex Vaticanis codicibus, pariter et Menardus. Gregorius addidit, *ss. Agathæ, Luciæ, Agnetis, Cæciliæ, Anastasiæ*.

Post orationem Dominicam Clemens III (1187-1191) instituit ut cantaretur Psalmus *Deus, venerunt gentes*, quousque a paganis Christiani liberarentur. Innocentius III (1198-1216) eumdem Psalmum cum versu et oratione decantari jussit post osculum pacis. Nicolaus III (1277-1280), ad obtinendam pacem inter Christianos principes, jussit cantari, post *pax Domini sit semper vobiscum*, Psalmum *Lætatus sum*. Tandem Joannes XXII (1311-1334), ad pacem Ecclesæ et ad sedandas perturbationes ab hæreticis et schismaticis ortas, edixit ut in singulis Missis, post orationem Dominicam, diceretur Psalmus *Lætatus sum*, cum versiculis et collectis.

Libera nos, non invenitur in Ordine Romano apud Illyricum, sed de ea fit mentio in primo. In quarto linquitur arbitrio Pon-

tificis celebrantis, post *Atque Andreæ*, quot et quales sanctos voluerit nominatim commemorari. In quibusdam Sacramentariis nomina nonnulla specificantur, v. gr., in Gregoriano, *Dyonisius*, *Rusticus*, *Stephanus*, *Quintinus*, *Nicasius*, *Gregorius*, *Medardus*, *Eligius*. Sacramentarium Medardi habet tantum, *Stephani*. Hæc praxis viguit usque ad sæc. XI ; nam de illa sic habet Micrologus : « Post nomen *Andreæ*, ad orationem *Libera nos*, licet celebranti nominare quotquot sanctos voluerit. Durandus autem, qui scripsit sæc. XIII, mentionem tantum facit B. M. V., ss. Petri et Pauli atque *Andreæ* ; argumentum est valde probabile, licentiam aliquid addendi sub hac oratione, fuisse tunc revocatam.

Pax Domini... Invenitur in Missa Illyrici, sed aliis verbis, nempe : *Habete vinculum pacis et unitatis*. Ita ex codice Flori, qui vivebat sæc. IX, pariterque in ordine Romano primo.

Hæc commixtio citatur ab Illyrico et in ordine Romano primo : attamen deest in aliquibus Sacramentariis ; immo in quibusdam Ecclesiis Gallicanis locum non habebat, prout colligitur ex Missa Carthusianorum, quæ formata fuit ex ritibus Gallicanis et quæ dictam orationem non includit.

Ex ordine Romano VI, ab Episcopo dabatur Benedictio ante communionem, scilicet post *Libera nos*. Ex ritu Mozarabico sic in omni Missa fiebat et hic ritus ex Hispaniis in nonnullas Galliarum Ecclesias transierat.

Durandus (sæc. XIII) ait : « Secundum antiquam consuetudinem... Ecclesia etiam Lateranensis nunquam dicit, *dona nobis pacem* ».

Primitus celebrans non dicebat *Agnus Dei* sed illud cantabat chorus : « Tamdiu cantatur, usque dum complent fractionem » (Ordo Rom.) ; sed sæc. XII, jam repetebatur. Juxta Georgi, in Missis ritu Gallicano celebratis dicebatur aliquando post consecrationem, interdum in precatione super munera, i. e., ante Præfationem.

In Missali romano ms. anni 1158, legitur unum *Agnus Dei*, deinde unica oratio præparatoria ad communionem, nempe *Domine Jesu Christe, Fili*... et postea duo *Agnus Dei*. Sed in Ordine Romano XIV (sæc. XIV) habentur omnia ut hodie.

Ex tribus orationibus præparatoriis ad communionem, secunda tantum refertur in Missali romano sæc. XII (1158); Micrologus (*sæc*, VII) de hac sola loquitur : « Orationem, quam inclinati dicimus antequam communicemus, non in ordine, sed ex Religiosorum traditione habemus, scilicet hanc : *Domine Jesu Christe, qui ex voluntate Patris* ». — Ex quo liquet tres istas orationes non simul sed sensim fuisse in Romanam Liturgiam inductas. Reliqua mitto.

At quorsum hæc omnia ? Num ut minuatur erga s. Liturgiam debita veneratio ? Minime ; sed tantum ut propositæ quæstioni, quo facilius se expediat, sternatur via.

Et quidem *venerabilitas* Liturgiæ alia intrinseca est et essentialis, alia accidentalis et extrinseca. Prior in hoc est, quod a legitima Ecclesiæ auctoritate ritus aliquis sacer instituatur vel adprobetur, qua sola posita ratione, jam venerabilis ritus quilibet evadit, qua dempta, quilibet ritus venerabilitate, saltem authentica, caret. Hujus rei causam nemo non videt, quum cultus publicus Deo in nomine Ecclesiæ non possit offerri, quem auctoritas Ecclesiæ non probavit, ac vicissim non possit Deo non esse acceptus cultus quem Ecclesiastica potestas sua consecratione munivit.

Hoc sensu venerabile in Missa est quod a Christo Domino institutum fuit ; item, quanquam non eadem absoluta ratione, id omne quod instituerunt Apostoli, et tandem quidquid, quolibet tempore, a Pontificibus processit, aut etiam in futurum procedet : auctoritas siquidem Pontificum neque mutatur, neque senescit, neque minuitur.

Jamvero venerabilitas accidentalis Liturgiæ illa est, quæ accedit essentiali, cui decus aliquod addit extrinsecum : oritur autem ex diuturnitate seu antiquitate alicujus ritus, ex sanctitate Pontificis qui hunc in Liturgiam invexit, ex gravibus circumstantiis quas inter vel ex quibus originem duxit, etc. Evidenter rationes hujusmodi ritum aliquem commendant, non ita tamen, ut, ad eum retinendum cogant vel sufficiant, si Pontifex aliud judicaverit.

Neque ex eo censeatur me parvi facere antiquitatem alicujus ritus, ac speciatim in sacrosancto Missæ Sacrificio. Contra, fa-

vente Deo, maximi semper feci, ac, ut spero, faciam, sed ita quidem, ut plane autumem, istud ex antiquitate ornamentum omnino cedere venerabilitati essentiali. Etenim, si nimium hæc antiquitatis ratio urgeretur, minus venerabilis fuisset ordo Missæ, seu *Canon*, tempore s. Gregorii, quam primis ante sæculis. Quin immo majoris pretii fieret venerabilitas accidentalis, quam venerabilitas essentialis, siquidem auctoritas legitima Ecclesiæ esset jam in impossibilitate morali quidquam statuendi, obsistente venerabilitate accidentali. Atque ita, non modo multum detrahitur de Pontificia potestate, sed notio ipsa utriusque venerabilitatis pervertitur et commutatur.

Haud tamen diffiteor aliam esse rationem antiquitatis, si ritus quidam sit simul traditæ veritatis monumentum, quo in casu essentialem utique venerabilitatem habet ceu *monumentum*, non autem per se solum, ceu ritus liturgicus; sed hæc questio aliena est et ab ea impræsentiarum præscindo. Hoc unum heic contendo manere semper Pontifici jus plenum et expeditum aliquam formulam immutandi, quin ideo quidquam venerabilitati essentiali Liturgiæ pereat.

Hæc omnia, iterum profiteor, non ea mente dico ut minuatur s. Liturgiæ antiquitas veneranda, sed ne nimium ac magis quam par est, contra petitionem factam ducatur argumentum. Etenim, ut modo notabam, si nimium urgeretur, minus venerabilis esset ordo Missæ a s. Pio V editus, aut veneratione quadam excidisset ordo sæculis enumeratis solitus ; quin etiam *moraliter*, ac proin, *de facto*, *absolute*, foret jam impossibile quidquam Pontificem Summum, uti Decessores fecerunt, vel nomen addere.

Jam quid petitur ? non suppressio ulla, sed additio. Quæ additio ? non parvulæ orationis, sed additio duntaxat nominis bis in Missa et bis in Canone invocandi. Minimum quod unquam in Missa factum sit. Atque id non leviter, sed gravibus subjectis rationum momentis, potioribus etiam quam illa quæ Pontifices olim moverunt ut vel plures voces adderent. Ergo quemadmodum bene potuerunt olim Pontifices aliquid addere Missæ, ita, et *a fortiori*, hodie Summus Pontifex Josephi nomen addere potest.

Sed contra forte dicit aliquis : Isthæc argumentatio nihil ad rem evincit, quia additiones et suppressiones supra relatæ nunquam pro tota Ecclesia decretæ sunt eique impositæ. Revera a tempore s. Gregorii Magni nihil immutatum est.

Respondetur 1° Quatenus hoc esset verum, si potuit s. Gregorius varia nomina in Canone ipso scribere, cur non posset Pius X unum scribere Josephi nomen ? si, occasione pestis aut belli, potuit idem Pontifex plures voces orationi *Hanc igitur* adjicere, cur, graviores seu altiores ob causas, quidquam adjicere Pius X prohiberetur ?

An dicitur, quia res nova nunc fieret ? — Et vero s. Gregorius rem novam non fecit ? Haud minore tunc potuit ratione hæc additio res nova judicari, quam hodie judicaretur, quum sexcentis jam annis Missa sine his nominibus celebraretur. Immo et aliquo pacto res magis nova tunc facta est, quam hodie fieret, quia tunc, ecclesiastica praxi non ita mentibus radicata, commotio quædam circa totum Missæ ritum multo magis potuit formidari : aliis Pontificibus aperiebatur via, non nomina tantum sed integras orationis formulas superaddendi. — Præterea nemo non videt potiorem esse rationem ut Josephi nomen, vel in Canone, scribatur, quam sanctarum mulierum nomina. — Adde, ex dictis, novitatem istiusmodi nihil officere venerabilitati Missæ essentiali.

Respondetur 2° Verum non est nihil, vel in ipso *Canone*, additum fuisse a temporibus Magni Gregorii. Quadringentis (400) post ipsum annis, omnibus Sacramentariis contestantibus, quinque voces additæ sunt, *pro quibus tibi offerimus vel*, idque toti Ecclesiæ fuit tandem impositum. Numquid ideo Missa, sæculo X, e summa sua venerabilitate excidit ?

Atque heic notandum est hanc additionem inductam esse, non ex necessitate, sed ex quadam tantum convenientia. *a*) Verba illa *qui tibi offerunt* olim quidem accipiebantur sensu materiali, sed cessante fidelium oblatione materiali, ut vera perstarent satis fuit illa ad sensum moralem vel spiritualem convertere, eo magis quod, sacerdos offerens sacrificium pro certis personis determinatis, bene intelligitur, quin exprimatur *pro quibus tibi offerimus*. *b*) Insuper tunc additæ sunt hæ vo-

ces, quum plures adhuc fideles offerebant ea quæ erant ad sacrificium necessaria : ergo vera satis manebat, etiam materialiter, formula *qui tibi offerunt*, quin ulla additio fieret. *c*) Sed, si ex quadam necessitate — ut veritas materialis servaretur — additæ fuissent voces *pro quibus tibi offerimus*, eadem vel majore necessitate, debuerunt expungi verba *qui tibi offerunt*, quum jam nullus fidelis offerret. — Ergo necessarium non fuit addere verba *pro quibus tibi offerimus vel*, sed utile duntaxat aut conveniens, sicut non ex necessitate, sed ex sola quadam convenientia, addita sunt a Gregorio Magno plura sanctarum nomina. Nec propterea, sæc. VIII vel sæc. X, aliquis existimavit minus venerabile Missæ sacrificium evasisse.

Respondetur 3° Lex illa de nihil addendo ordini Missæ non adeo presse olim accipiebatur, sicut quidam existimant, quum ex antedictis pateat in omnibus Ecclesiis usque ad s. Pium V, varia, pro diversis temporibus, locis, circumstantiis, ac in ipsa Ecclesia Romana, fuisse adjecta vel immutata. Unde, si nihil mutatum est pro Ecclesia universa, hoc non fuit quod nihil in Missa addi vel mutari potuerit, sed quod non dabatur pro Ecclesia universa Ordinarium ex toto identicum et immutabile.

Merum igitur videtur sophisma objectio facta. Si potuit Pontifex, pro Urbe et Italia, aliquid Missæ mutare, potuit sane idem aliis Ecclesiis imponere. Jamvero ex eo quod non imposuit, sed variis Ecclesiis permisit mutationes convenientes facere, nomina sanctorum vel orationes addere aut resecare, concluditur nihil mutatum esse in Ecclesia universa : ast eo magis mutatum est, quod in universa Ecclesia jus ipsum *practice* factum est mutandi.

Respondetur 4° Non practice tantum sed etiam *theoretice* et *formaliter*, factum fuit jus ab Innocentio III, coram Concilio Œcumenico, ut adderentur nomina Sanctorum — Martyrum vel *Confessorum*, — quorum corpore monasteria vel Ecclesiæ gloriabantur.

Respondetur 5°. Mens nostra hodie, etsi, quod principium spectat, laudanda, nonnihil tamen forte discrepat a mente, quam, usque ad sæculum XVI, circa venerabilitatem Missæ, fideles atque Pontifices habuere. Etenim, si omnibus fere in Ecclesiis,

nec excepta Romana, usque ad sæculum XVI, aliquid potuit in ordinario Missæ addi vel omitti, uti factum est, hæc sane viguit in Ecclesia persuasio, quod, licet ss. Sacrificium permagna sit veneratione habendum, huic tamen venerationi non officeret additio cujusdam nominis vel vocis aut etiam orationis. Igitur, si per decem et quinque sæcula hæc percrebuit in Ecclesia constans sententia, praxi confirmata, non videtur additio nominis Josephi venerationi ss. Sacrificio debitæ aliquid afferre posse detrimenti.

Sed hactenus. Primæ quæstioni mihi videor repondisse: Potest Summus Pontifex, etiam morali possibilitate, petitionem nostram admittere, si scilicet graves id faciendi suppetant rationes.

II

RATIONES

Et certe suppetunt. Istæ autem præcipuæ videntur posse numerari.

I. Ex dignitate s. Josephi.

Annotationem præmitto. — Uti notum est, plures Sancti, ex iis quorum nomina in Canone recensentur, nec magna dignitate nec magna hodie celebritate, in Liturgia, gaudent. Alii sub ritu dupl. min., alii, sub ritu semidupl., aut etiam simplici, recoluntur. Quare illi, præ cæteris, in Canone conscripti sunt? penitus ignoratur. An ex antiquitate, an ex illustratione martyrii, an ex majore qua tunc populus Romanus eos devotione prosequebatur? Nescitur. Neque scitur, quando conscripti sunt. Profecto non omnes simul, quum diversis temporibus vixerint. Hæc duo tamen videntur posse asseri : 1° Illi, qui hodie ritu minore celebrantur, majore, quum inscripti sunt celebritate gaudebant ; 2° inscriptio in *Canone* causam habuit, sin minus exclusivam, saltem partialem aut principalem, honoris ac devotionis erga illos testificationem. Atque hoc idem confirmatur ex modo agendi sequiorum sæculorum : plura namque, in multis Sacramentariis, nomina Confessorum et Virginum, honoris ac devotionis causa, addita sunt. Verum, quidquid de hac quæstione historica sit, nemo negabit inscriptionem nominis cujusdam Sancti in *Canone* esse posse, præsertim si fieret hodie, testimonium magni honoris ac magnæ devotionis. Qua præmissa annotatione, dico hunc honorem dignitati s. Josephi apprime convenire, atque etiam quadantenus ab ea postulari.

Demonstratur 1°. Auctoritate Leonis XIII, qui, scribens ad Episcopos Hispanos (28 janv. 1890), de Sponso Virginis et Patre existimato Christi profitebatur : « Nullo eum non esse obsequio

prosequendum ». Porro inscriptio nominis in Canone ac Missa quoddam est obsequium, et quidem obsequium aliis concessum dignitate s. Josepho longe inferioribus. Ergo hoc etiam obsequio Josephus est prosequendus.

2° Excellentiæ summæ et summæ ad Deum affinitati debetur honor summus (s. Th.) ; atqui quamdiu Josephus in sacro Missæ Sacrificio non invocetur, nedum honore summo recolatur, immo honore summo privabitur. Re quidem vera, quo pacto possit cultus duliæ summus alicui sancto tribui aut competere, quin ei competat et tribuatur omnis testificatio honoris ? Inscriptio nominis Josephi in Missa videtur esse consequentia velut necessaria cultus duliæ summi, sicut cultus duliæ summus est consequentia necessaria summæ dignitatis.

3° Si hodie *Canon* Missæ conderetur, ne unus quidem sacerdos non averet nomen Josephi præprimis inscribi ; atque certissime ab exordio inscriptum fuisset, si excellentia ejusdem Sancti, sicut hodie, inclaruisset. Divina utique Providentia hujus juris exercitium distulit, sed non abstulit ; et jam nihil obstat quominus exerceatur.

4° Immo necessitas quædam hodie urget, nimirum necessitas compensandi honorem quo tanto tempore caruit. Ulterius non videtur hoc honore, sibi ab exordiis debito, privandus.

II. Ex relationibus Josephi cum divino Sacrificio.

Post Virginem beatissimam, nullus est sanctus qui tot ac tam propinquas relationes habuerit cum divino Sacrificio, sicut Josephus.

a) Ipse solus, cum Beatissima Sponsa, concurrit ut Verbum sumeret carnem, in ara Crucis immolandam, eoque fine ut immolaretur.

b) Josephus materiam Sacrificii, vitam dico Agni immaculati, ex omni periculo eripuit, custodivit, auxit, ut fieret aliquando victima salutaris et panis hominibus divinæ vitæ.

c) Hanc futuram immolationem sciebat, tum ex prophetis, ac præsertim ex Isaiæ cap. 53, tum ex ipso Angelo, ad cujus revelationem, divina delegatione et auctoritate paterna, ipse victimam proprio nomine Jesu signavit atque immolationi devovit. Sed eo magis sciebat, quod non potuerit Jesus, jam grandior

factus, domi cum parentibus non loqui de excessibus quos erat completurus in Jerusalem. Tota Jesu vita crux fuit et martyrium.

d) Unde Josephus adstitit Sacrificio vel a primo instante quo cœpit offeri, quanquam ad ejus consummationem non adstiterit.

e) Non modo sacrificio Jesu, a prima nativitate incœpto, adstitit Josephus, sed illud idem participavit et aliquatenus proprio suo sacrificio levius fecit. Calicem quem bibit Christus eumdem multis annis bibit Josephus haustu largo.

f) Millies ipse cum ss. Matre, ac in Præsentatione potissimum, Deo Patri obtulit Redemptionem mundi, quasi primus cum Christo et eminente ratione sacerdos. Ex quo revocatur sacerdotibus ut Hostiam sacrosanctam ea mentis ac corporis puritate offerant, ea erga Deum et homines charitate, qua Maria primum et Josephus obtulerunt. Quin etiam monentur sacerdotes, ut per easdem Mariæ ac Josephi purissimas manus, quibus voluit Agnus immaculatus Æterno Patri infinitum munus offerri, ipsimet tractent et offerant. Quid porro melius, quam ut iidem sacerdotes, ipsis in Missæ orationibus, ad hanc puritatem et oblationis communitatem, Mariæ ac Josephi nomen invocando, revocentur ?

III. Ex relationibus Josephi cum Maria

Si rubrica generalis est, quod nunquam s. Petrus et s. Paulus dissocientur, numquid potior non videtur ratio ut, saltem in Missa, jungatur Josephi nomen cum nomine sanctissimæ Sponsæ quam illi Deus tam arctissime nexuit et quacum, propter Jesum, tantam habuit laborum et charitatis societatem ?

IV. Ex relationibus Josephi cum Ecclesia.

Ecclesia debitrix est erga Josephum, sicut non est erga Sanctum vel Angelum quemquam. « Si compares eum ad totam Ecclesiam Christi, ait Bernardinus, nonne iste est homo electus et specialis, per quem et sub quo Christus est honeste introductus in mundum ? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est, sic profecto, post eam, huic debet gratiam et reverentiam singularem. » (S. de s. Jos.)

Utique multiplici de ratione, Ecclesia Josepho debitrix est de Jesu, qui eam acquisivit sponsam sibi immaculatam. Ergo con-

venire videtur, ut Josephum omnibus quibus potest honoribus prosequatur, ac in illo præcipue Sacrificio, in quo nata est et ex quo vivit in sempiternum.

V. Ex titulo et munere Patroni Ecclesiæ catholicæ.

Ecclesia, divino monente ac pulsante Spiritu, Patronum sibi s. Josephum delegit et proclamavit.Sed Patroni universalis est in cunctis patrocinari et ab omnibus Christifidelibus, præcipuis in adjunctis, invocari. Patrocinium autem Josephi ubi melius exercebitur, quam apud Agnum Dei perpetuo immolatum ? aptius quando adpellabitur, quam quum Ecclesia *actioni* vacat?

Adde, si venerabile Josephi nomen in ss. Sacrificio non invocetur, Patronum sibi assumpsit Ecclesia quem rarissime invocabit, ac certe longe minus quam alios plures, adeoque aliorum patrocinio videbitur magis confidere.

Ratio istæc, mihi quidem, summi est ponderis et quasi cogentis necessitatis. Necessaria enim videtur consequentia *practica* tituli Patroni universalis, ut ejusdem quotidie nomen invocetur atque ideo in orationibus Missæ apponatur... nisi tamen quispiam dixerit hunc Patronatum esse quid mere honorificum nec quidquam verum ac solidum referre.

VI Ex malis hodie ingruentibus.

Nonnulla, decursu temporum, fuerunt a Pontificibus ordinario Missæ adjecta, occasione malorum ingruentium. Ast, eheu ! quibus et quot malis Ecclesia nunc undique premitur ! Si ratio unquam fuit, ob Ecclesiæ mala, Missæ aliquid addendi, hodie profecto vigere hæc ratio dicenda est. Sed Missæ quid potest addi quod spem salutis adferat firmiorem, quam s. Josephi invocatio? Scilicet, sicut Josephus Christi corpus reale cura sua usque sollicita ex omni casu eripuit, ita ipse, eadem cura, corpori mystico invigilabit et ab omnibus custodiet adversis.

Scandalizantur forte quidam, quod statim a proclamatione Patronatus, Ecclesia, ope s. Josephi, non fuerit ab omni malo libera. Sed nonne vult Deus, ut summi honores, ac speciatim in Missa, prius Josepho decernantur, quam ejus patrocinium magna virtute ostendatur ? Si fecerit Ecclesia id omne quod potest in honorem s. Josephi, credendus est ipse facturus id omne quod potest in bonum Ecclesiæ.

III

INCOMMODA

I *Primum incommodum* est, quod B. Josephus mortuus fuerit ante Christi passionem ; at conveniens non videtur, in Sacrificio crucis mystico, invocari eum qui ante decessit quam consummaretur.

Respondetur 1° B. Joannes Baptista ante consummationem sacrificii Crucis decessit, nihilominus in Missa, ac in ipso *canone* post consecrationem invocatur. Id tenet sententia communis et evincitur ex liturgia ss. Basilii et Chrysostomi, in qua expressis terminis s. Præcursor nominatur.

2° Licet s. Josephus ante consummatum Sacrificium decesserit, operi tamen Redemptionis, uti dictum est, non fuit extraneus. Omisso ejus concursu ad Incarnationem, ipse Victimam designavit et quasi consecravit, imponens ei victimæ nomen, ipsam aluit et educavit ad sacrificium.

3° Beatissima Virgo, si ante Sacrificium crucis decessisset, omni tamen jure præprimis in canone nominata fuisset. Simili, licet non æquali, ratione, Josephus. Ipse non pertinet ad Vetus Testamentum, neque proprie ad Novum, sed ad utriusque Auctorem, atque ideo non debet ab eo separari.

II. *Secundum incommodum.* B. Josephus inter Confessores vel inter Patriarchas recensetur ; in Missa vero non invocantur nisi Martyres, utpote qui suum cum Christo sanguinem victimæ puræ profuderunt.

Respondetur 1° Illa regula non ita generaliter est accipienda, ut repugnet Ecclesiæ confessorem inter solemnia invocare. Et enim constat ex dictis tempus fuisse, et quidem non breve, quo

tota fere Ecclesia nomina Confessorum in Missa et in ipso *canone* recitabat. — Innocentius III, coram concilio œcumenico, fecit potestatem generalem omnibus Ecclesiis nomen in *canone* recitandi cujusvis Sancti, vel confessoris, cujus corpus inibi servabatur.

2° In hac exceptione, sicut in aliis, Sanctus Josephus tractatur uti unus e numero Sanctorum, nihil sibi speciale adscribens, quum tamen, ex dictis, Sanctus sit omnino egregius, titulos plures præferens, ut ante omnes amplissime celebretur. Unde, etiam dato quod confessores, ut ita dicam, ordinarii non possint in Missa nominari, ille tamen confessor Josephus, pro suis altimissis ac singularibus titulis, id exposcere videretur.

3° Nullo modo constat omnes Apostolos fuisse martyres. Et certo certius, si constaret aliquem Apostolum non fuisse martyrem, non propterea *canoni* non inscriberetur, cujus assertionis ipse canon nobis præbet argumentum, nam Apostolos, qua apostolos, recenset, ac postea Martyres : « sed et beatorum Apostolorum et Martyrum tuorum (*Cf. Marchesi l. l.*)

4° Beatissima Virgo, licet eminentiore ratione, *formaliter* tamen non fuit martyr. Atque, etiamsi paullo post Christi nativitatem decessisset, æquo jure potuisset ac debuisset, ex sola ipsius *dignitate*, in *canone* invocari. Sic B. Josephus ex dignitate sua.

5° Quanquam B. Josephus non fuerit martyr formaliter, multa tamen pro Christo et cum Christo passus est : si ea omnia quæ passus est Christus a nativitate fecerunt ad opus Redemptionis, impossibile est Josephum ad idem opus non collaborasse. Si Ecclesia quosdam Sanctos, qui suam non fuderunt vitam, ceu martyres colit ob solas passiones, quibus pro Christo subjecti sunt, nonne poterit Josephus eminentiore ratione Martyribus accenseri ?

Et sane ad quid, quæso, Josephus, quum illum Deus sponsum Virginis et Christi patrem elegit, assumptus est ? Ad hoc unum, ut non sibi, sed Christo ac Virgini viveret, videlicet ut animam suam in hujus utriusque vitæ obsequium adhiberet ac profunderet. Quis non fateatur pignus esse charitatis longe majus suam sic alteri tradere vitam ut ipse ex illa vivat et augeatur,

maxime si secus nec vivere nec augeri posset, quam eamdem, optimo quidem animo, sed physico reali nullo profectu, uno ictu deponere ? Ita porro Josephus animam suam pro Christo, totos tringinta per annos, diu noctuque, singulis momentis, ineffabili charitate, posuit ac profudit.

Neque satis. Quum Josephus hanc Virginis ac Christi curam suscepit, ea profecto mente suscepit, ut ad sanguinem fundendum paratissimus fuerit, si se offeret occasio, pro utriusque vita contutanda, eoque magis quod sciebat divinissimum Infantem contradictionibus multorum expositum iri. Non potuit igitur Josephus munus sibi commissum suscipere, quin crucem Christi amplexaretur, aut etiam ad mortem paratum se haberet, quin proinde efficaci sui animi inclinatione vitam poneret pro Christo.

Hæc autem animi inclinatio sterilis nec cassa fuit. Vix natus Infans Deus occasio fuit Josepho malorum. Si quis unquam pro Christo animam suam posuit, nonne primus omnium ille Josephus exsul ac angustiis pressus, Ægyptum petens per media pericula et incommoda, ibique commorans ac duro labore Virginis et Christi necessitatibus devotissima mente sese dicans et sacrificans ?

Demum, ut passiones omittam corporis et animi, quibus continuo subjectus est pro Christo, istud mihi videor posse affirmare, Josephum, pro cultu divinissimæ Personnæ, ultimum obiisse diem. Quis namque non fateatur, hæc longa itinera, hanc ærumnarum, laboris improbi et vigilis usque sollicitudinis seriem, vitam Josepho corrodisse et denique consumpsisse ?

Non minus igitur quam quivis martyr, immo altiore ratione Josephus sibi potest apud Christum gloriari vitam se pro ejus amore deposuisse, ea quidem non levi differentia, quod, ex sua pro Christo traditione, martyres nihil ei revera, præter honorem, physice contulerunt, Josephus autem ita Humanato Deo vitam immolavit, ut Christus Jesus summum vitæ servatæ et auctæ sibi lucrum reportarit.

Ergo ratio martyrii nedum impediat quominus Josephi nomen *Canoni* inseratur, contra hæc ipsa ratio id omnino expetere videtur.

III *Incommodum. Pateret janua aliis inscriptionibus.*

Respondetur. Eamdem objectionem movit et dissolvit Benedictus XIV, quum actum est de nomine Josephi Litaniis adjungendo. Melius non possum ego, quam iisdem clarissimi Auctoris verbis, respondere.

« Quum prohibitio Ecclesiæ addendi privata auctoritatæ nomina Sanctorum in Latiniis et ejusdem Ecclesiæ difficultas annuendi novæ additioni, huic potissimum innitatur fundamento, quod uniformis debet esse modus orandi, et quod, si annuitur descriptioni nominis alicujus sancti in Litaniis (in Missa) facili negotio possunt fieri aliæ et aliæ additiones, — hinc est quod, quum demonstrabitur s. Josephum talibus prærogativis potiri, ut ab ejus nomine ad aliorum Sanctorum nomina duci nequeat consequentia, sicut cessabit fundamentum prohibitionis, sic, ea cessante, poterit tuto deveniri ad reponendum ejus nomen in majoribus Ecclesiæ Litaniis (in Missa).

» Certum est s. Josephum fuisse intemeratum Beatæ et Sanctæ Virginis sponsum... Certum est quoque ipsum s. Josephum patrem fuisse appellatum Christi... Certum est denique Christum Dominum fuisse subjectum s. Josepho. » Hæc omnia confirmat ex variis Evangelii locis ; prærogativas autem illas simpliciter enumerat, quin eas ponderet, quæ tamen sic ei specialissimæ videntur, ut concludat : « Gratiæ hæ, spirituales istæ prærogativæ magnæ sunt, excelsæ sunt, nec alteri Sancto communicatæ. In quo rerum themate, unusquisque sibi facile persuadere poterit ex additione nominis s. Josephi in Litaniis consequi non posse, ut alia sint Sanctorum nomina subinde superaddenda ».

Ex his gravissimis verbis duplicem licet conclusionem eruere : 1° Justissimas rationes habet Summus Pontifex addendi Missæ venerabile Josephi nomen, quum Sanctus sit, qui potiores præbeat titulos quam alius quivis, *gratias* nempe *ac prærogativas, magnas, excelsas, certissimas ac nulli alteri communicatas* ; 2° Ex hac additione non *subinde consequetur aliorum posse nomina superaddi.*

Sed duplex ista conclusio longe firmior est, quam ferunt

verba Benedicti XIV. S. Josephus non fuit sola *appellatione* pater. Ergo *gratiæ* ac *prerogativæ*, de quibus loquitur doctissimus Lambertini, nihil fere urgent, in comparatione earum, quas reapse Deus Josepho contulit ; ergo multo *a fortiori* quam ipse putabat urgere dicendæ sunt ; ergo multo minus ab iisdem poterit ad alios duci consequentia. Scilicet, ut consequentia ad alium quemquè duceretur, deberet dari alter Verbi Incarnati parens, alter Deiparæ sponsus.

IV. *Incommodum. Novitas.*

Novitas triplex dari potest circa ea quæ proponuntur Ecclesiæ adprobanda vel consecranda : alia vera ac proprie dicta novitas, alia ex parte novitas, alia novitas apparens et quasi extrinseca.

Prima, vera scilicet ac proprie dicta in Ecclesia novitas, in eo est, quod res proposita nullo, ne indirecte quidem, fundetur principio vel motivo : ejusmodi, v. gr., esset petitio : ut s. Lucia totius Ecclesiæ patrona diceretur... Hæc est novitas a qua plane abhorret Ecclesia.

Secunda porro novitas in hoc sistit, quod petita res principio quidem fundetur supernaturali, sed ita ut nexus inter principium et rem per se non affulgeat : unde advocandæ sunt rationes quibus manifestetur. Sit exemplum ordinis religiosi adprobatio.

Tertia tandem novitas, *simpliciter* novitas dici nequit, sed *secundum* duntaxat *aliquid* extrinsecum. Illa est quæ habetur, quum proposita res, licet in Ecclesiæ usu nondum fuerit, ita tamen motivo seu principio supernaturali nectitur, ut non nova res inducatur, sed tantum *exterioratio*, sit venia verbo, rei, uti est Ecclesia, antiquissimæ. Character autem rerum hujusmodi bene dignoscitur ex eo quod, si quis finxerit rem de qua agitur semper in Ecclesia usu consuevisse, nulla moveatur admiratione, idque facili negotio convenientissimum omnibus comprobetur.

Jam age, supponas velim, non attentis variis circumstantiis quibus factum est ut s. Josephus tamdiu latuerit, sed solis inspectis rationum momentis supra aggeratis, supponas, inquam, semper in Ecclesia, aut decem abhinc sæculis, venerabile Jose-

phi nomen in Canone Missæ, post dulcissimum Mariæ nomen, fuisse invocatum : quis rigidissimus theologus vel rubricarum interpres peritissimus, umbram in hoc incommodi deteget ; sed potius quis plena evidentia non fatebitur id fuisse justissime, juxta evangelica dicta, factum et comprobatum ?

Hæc utique vera sunt, attentis duntaxat principiis in Evangelio conscriptis, nimirum invocatio nominis Josephi in Missa nova esset *de facto*, minime autem de *jure* ; at salutato jam Josepho Ecclesiæ catholicæ Patrono, et ipsum *factum* fere cessat esse novum, quandoquidem invocatio Josephi in *canone* non est nisi praxis velut *necessaria* hunc Patronatum exterius profitendi ; adeo ut, sine hac quotidiana invocatione, ad nihil pene publica et ex officio hujus Patronatus adpellatio reducatur.

V. *Incommodum. Petitio jam repulsa.* — Pius fel. rec. Pp. VII concedere noluit, ut s. Josephi nomen in canone Missæ adjungeretur.

Respondetur 1° Fere nulla est praxis religiosa, quæ primo repulsam non passa sit ; exemplum celeberrimum præbet devotio et festum ss. Cordis Jesu. Ergo repulsa semel aut iterum ac ter ejusdem Postulati nequit esse ratio cur semper rejiciatur : nullatenus enim eo pacto rejicitur, ut prohibeatur fieri super eadem re accuratius examen et novum ad s. Congregationem vel primam Sedem recursum.

2° Igitur quod fuit factum nequit esse, præsertim circa cultum s. Josephi, norma ejus quod fieri potest aut etiam debet. *Filius accrescens Joseph, filius accrescens.* Eadem sane objectio, si quid valeret, debuit arcere ab inserendo ejus nomine in Litaniis, immo et ab introducendo ejus festo in sacra Liturgia ; debuit impedire quominus gradatim a ritu simplici ad solemnitatem 1 cl. idem festum elevaretur ; debuit obstare quin Josephus totius Ecclesiæ catholicæ Patronus renuntiaretur : non arcuit, non impedivit, non obstitit ; ergo nec arcere, nec impedire, nec obstare hodie potest ne Josephi nomen Missæ orationibus interponatur.

3° Cultus B. Josephi, ut cuique compertum est, a sæculi decimi noni exordio mirum in modum crevit et propagatus est.

Tunc temporis non ita parata fuit fidelium mens, sicuti nunc est, ad hoc privilegium suscipiendum.

4° Nondum fuerat Josephus totius Ecclesiæ Patronus solemni oraculo salutatus : jamvero, ut satis exponebam, invocatio nominis Josephi in ss. Missæ Sacrificio non est nisi practica hujus tanti tituli exercitatio et proclamati principii necessarium quasi corollarium.

5° Ideo dejecta est petitio, quia tunc, reor, a paucis et leviter fulciebatur ; quid si permulti orbis christiani Præsules id enixe flagitassent? Inductione satis completa edocemur longe aliam tunc hujus petitionis futuram fuisse sortem. Testis est Pius IX in decreto supra laudato ; testis Benedictus XIV,quum ageretur de nomine Josephi Litaniis inserendo. Petitio primum admissa non fuit,« præcipue, quia tunc Principum,Magnatum, cætuumque ecclesiasticorum supplicationes deerant, quæ videbantur omnino necessariæ... Post lapsum vero novem annorum supervenerunt et preces magnorum Principum et plurium Ecclesiasticorum et quadraginta Generalium... » Tunc tandem recepta et adprobata petitio est.

Eos igitur omnes qui hunc libellum meum perlegerint, si tamen placeat, non hortor, sed rogo et enixis precibus obtestor, ut suum nomen his omnibus jam collectis adjungere velint, quo maximus postulantium numerus compleatur, pro certo habentes id a sanctismo Patriarcha præmio non minimo redonatum iri. Quin etiam, si possunt, procurent et alia nomina plurima eidem Postulato conscribenda.

VI *Incommodum praticum.*

Dari posset difficultas quædam practica aptandi nomen Josephi Rubricis et orationibus Missæ. Porro Roma scribebat mihi insignis rerum Liturgicarum magister : « Quantum ex me est, aperte confiteor, victoriam tuam, quæ et s. Joseph victoria est, exopto. *Neque ex hoc Rubricarum infractionem vel turbationem esse timendam arbitror.* Illæ enim pietati natæ sunt inservire, et in casu, quantum ipse video, optime possunt ».Nomen magnæ notæ subscribentis, non habita ejus facultate, subticeo.

Sed alter rei liturgicæ peritissimus vir, Aloys. Marchesi, quo facilius *practice* petitio hæc sese expediret aliquando,

formulam reliquit, qua forte melior vix condi potest. En illa.

In CONFITEOR. *Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, sancto Josepho ejus sponso, Beato Michaeli*, etc... *Ideo precor Beatam Mariam semper Virginem, sanctum Josephum ejus sponsum, Beatum Michaelem...*

In SUSCIPE, SANCTA TRINITAS. *Suscipe, Sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus... in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis ejusque sanctissimi sponsi Josephi et Beati Joannis Baptistæ...*

In CANONE. *Communicantes et memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ Genitricis Dei et Domini Nostri Jesu Christi, una cum Beatissimo ejus sponso Josepho, sed et Beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum...*

In LIBERA NOS. *Libera nos quæsumus, Domine, ab omnibus malis... et intercedente Beata et gloriosa semper Virgine Maria cum Beato Josepho ejus sponso, cumque Beatis Apostolis tuis Petro et Paulo.* »

Hoc idem videtur in Litaniis observandum, ut Rubrica plane sibi concordet. Iterum auctoritatem et verba Aloys. Marchesi referam. Inquirit, cap. IX, p. 249 : « de loco nomini Josephi in Litaniis statuendo : an præmittendum sit nomini S. Joannis Baptistæ » ?

« Prælationem hanc Beato Josepho æquo jure competere, ex supra firmatis, jam quisque videt nec opus est, ut vel leviter in ea vindicanda seu statuenda immoremur. Unice ergo inquirendum qua ratione nomen unius alterius nomini præponendum sit. Non enim unum alteri in eodem ubi nunc exstant loco, anteponere expediret, dicendo : *Sancte Joseph, ora pro nobis* ; *Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.* Non expediret, inquam, neque ex parte Josephi, neque etiam ex parte Præcursoris. Ex parte quidem Beati Josephi, quia ipsi præcedentia debetur, nedum supra Præcursorem, sed et supra Angelos. Ex parte quoque Joannis Baptistæ, quia hic, absque necessitatis causa, a sua perantiqua exturbaretur sede, qua semper inter Patriarcharum choros locum jure meritoque tenuit primum. (cf. quæ diximus supra, pp. 133 et 157. ss.) Quid igitur agendum? Res adeo prona atque evidens sese exhibet ut illam nec summis attingere labiis

opus esset. Si enim sancto Josepho cultus debetur *summæ duliæ*, immediate post Beatissimam Dei Genitricem, patet profecto ejus nomen, etiam in Litaniis, nomini Deiparæ Virgini esse illico subnectendum. Hac agendi ratione honori B. Josepho debito, ut par est, consuletur, quin sanctissimus Christi Præcursor sua perantiqua sedis possessione quovis modo exturbetur.

» Quoniam vero plerisque, ex ordine etiam episcopali, in votis esset, ut Beatus Joseph, post ss. Dei Genitricem, bis in Litaniis invocaretur (cf. pag. 9), notandum velim binam hanc nominis Beati Viri invocationem, cultui *summæ duliæ* ei debito, perbelle atque *ad amussim* respondere. Etenim, cum in Litaniis iisdem Deipara Virgo *ter* invocetur, cæteri vero, sive Angeli sive sancti, *semel* tantum, si Beati Josephi *bis* iterata vice imploraretur suffragium, ipse et ss. Dei Genitrici, prout par est, subesset, simul vero cæteris quibuscumque Cœlitibus jure meritoque præemineret.

» Quatenus ergo huic etiam petitioni (quæ proponebatur anno 1870) vellet hæc sacra Congregatio annuere, haud forsan inconcinne in iisdem Litaniis dici posset ut infra, nimirum :

Sancta Maria, ora...
Sancta Dei Genitrix, ora...
Sancta Virgo Virginum, ora...
Sancte Joseph, ora...
Sponse Deiparæ Virginis, ora...
Almi parentes Christi, orate...
Sancte Michael, ora...

» Nec quævis piarum aurium offensio mihi videretur pertimescenda ex quo Maria simul et Joseph, ceu Christi *Parentes*, heic invocentur. Nam 1°, hoc *præcise* titulo *Parentum Christi* ambo simul, nec semel tantum, sed *ter* in Evangelio Lucæ decorantur. Sic, cap. 1, v. 27, et infra, v. 41... et iterum, v. 43... — 2° Titulus *Parentis Christi* etiam relate ad Joseph, veritati apprime respondet, non modo juridice, sed et *theologice* loquendo, prout jam supra demonstratum est. — 3° tandem, christianus populus abunde jam edoctus est de venerando Incarnationis mysterio, nostris hisce temporibus ; et quatenus opus esset,

latius intimiusque in posterum edocebitur, cum de natura paternitatis Josephi erga Christum Verbi Dei præcones sermonem habere frequenter non omittent.

» Cæterum, cum in iisdem Litaniis, invocatis nonnullis cujusque ordinis seu hierarchiæ sanctis, *semper* omnes postea simul invocentur, dicendo, ex. gr., *Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate... Omnes sancti Martyres, orate...* haud incongruum profecto videretur, ut aliquid simile fieret quoad Mariam et Joseph, dicendo : *Almi Parentes Christi, orate.* Quin immo conclusio hæc *Almi Parentes Christi..*, necessario quodammodo interponenda videtur, ut, sive Deipara Virgo, sive castissimus ejus sponsus Joseph, qui ad hypostaticæ unionis ordinem pertinent, a cæteris Cœlitibus, qui deinde sunt invocandi, prout par est, secernantur ».

Quam apte et concinne hæc dicta sint nemo non videt. Hoc procedendi modo præcedentia s. Josephi non venit in conflictum cum summa sancti Præcursoris dignitate: tota quippe ratio hujus præcedentiæ duci videtur ex necessitate non separandi a Virgine Beatissima illum, quem ei Deus tam divino vinculo conjunxit.

Quod autem spectat invocationem : *Almi Parentes Christi*, ut omnis omnino scrupulus removeretur, dici posset *Almi virgines Christi parentes, Orate pro nobis.*

Et jam non restat, nisi rem totam sapientiæ ac benevolentiæ Summi Pontificis relinquere. Satis mihi fuit ostendisse nullas petitionibus factis obstare rationes, quin potius multas et firmas iisdem favere.

Ne unum quidem arbitror fore nunc in Ecclesia, e vulgo vel e corpore doctorum, qui, si benigne postulantibus annuatur, obstupescat, aut id fuisse optimo jure et aptissima convenentia factum non fateatur. Testis est Episcopus, pietate et doctrina clarus, qui scribebat : « Persuasum habeo inscriptionem nominis Josephi in Missa esse in votis omnium catholici orbis sacerdotum : hæc vota si compleantur, quæ spes mea est, tota ubique terrarum gaudio exsultabit Ecclesia ». Testis totius chritianæ plebis erga magnum Patriarcham devotissima mens et inexpleta Josephum venerandi cupido. Testes plus quam nongenti Cardi-

nales, Archiepiscopi, Episcopi, Superiores Generales, qui jam *Postulato* subscripserunt. Testes Pius IX et Leo XIII, iteratis suis magisque semper splendidis decretis,quorum postulationes nostræ non videntur nisi consequentia, complementum et felicissima consummatio.

DEO PATRI, FILIO, SPIRITUI SANCTO, LAUS
LAUS JESU, MARIÆ, JOSEPHO.

INDEX RERUM

Postulatum. . . . . .
Proœmium. VII
Petitio prior 1
Pars prima. — Documenta ecclesiastica. 3
Primum documentum. 3
Alterum documentum 16
Tertium documentum 38
Quartum documentum. 44
Pars secunda. — Postulatum, de cultu Protoduliæ sancto Josepho adscribendo, theologicis rationum momentis comprobatur. 47
Sectio prima. — De dignitate S. Josephi. 48
Thesis prima. — Titulo supernaturali juridico Beatus Josephus nomen sibi proprium accepit « Patris Verbi Incarnati » 48
Thesis secunda. — Vel solus hic titulus arguit in Beato Josepho summam omnium excellentiam summamque Deo affinitatem ; ideoque exposcit honorem omnium summum 50
Thesis tertia. — Beatus Josephus in Verbum Incarnatum habuit et exercuit auctoritatem patris sibi divinitus factam 53
Thesis quarta. — Inde nascitur Beato Josepho excellentia summa summaque ad Deum affinitas, cultum adpellans summum. 57
Thesis quinta. — Deus Beato Josepho, ceu munus proprium, commisit omnia omnino patris officia erga Verbum Incarnatum, eaque vel ante Jesu nativitatem, ac multis continenter sequentibus annis ; immo per durissima multa rerum discrimina : unde resultat Beato Josepho summa excellentia, summa Deo affinitas, summus ei debitus cultus 61
Thesis sexta. — Beatus Josephus paternos sensus, ac speciatim amorem paternum, ad Deum Incarnatum habuit ; habuit Deus Incarnatus ad Josephum filii sensus et amorem ; et quidem utrinque gradu ineffabili : unde oritur eidem Beato Josepho excellentia summa summaque Deo affinitas, in quibus consequenter fundatur cultus duliæ summus. 67
Thesis septima. — Beatus Josephus vere sensu theologico fuit Christi pater, *jure conjugii* 79
Thesis octava. — Eadem doctrina rationis lumine illustratur. . . . 87
Thesis nona. — Quamquam B. Josephus recte dici possit *pater putativus*, haud tamen unice nec præcipue. 93
Thesis decima. — Licet S. Josephus nihil physice concurrerit ad procreationem Verbi Incarnati, nonnihil tamen, matrimonio ipso, moraliter extrinsece concurrit ad ejusdem existentiam : adeoque certa et vera de ra-

tione dici potest divinæ Prolis pater. 101
Thesis undecima. — S. Josephus, non matrimonio tantum, sed etiam virginitate, seu matrimonio virgineo, concurrit ad procreationem, de Spiritu sancto, Verbi Incarnati 111
Thesis duodecima. — Hæc eadem doctrina expenditur et illustratur . 117
Thesis decima tertia. — Ministerium S. Josephi in ordine unionis hypostaticæ reponitur intrinsece. 125
Thesis decima quarta. — Præter ministerium Mariæ et Josephi, nullum aliud ministerium in ordine unionis hypostaticæ reponitur intrinsece. 133
Thesis decima quinta. — Expenditur Suarezii doctrina circa munus Josephi et Apostolorum. 139
Thesis decima sexta. — Ex titulo sponsi Dei Genitricis accessit S. Josepho dignitas summa et summa cum Deo affinitas : ex quibus sponte fluit cultus ei tribuendus duliæ summus. 150
Thesis decima septima. — Titulus Patroni Ecclesiæ catholicæ, quo authentice B. Josephus decoratus est, arguit, non modo in se, sed in ipsa jam Liturgia, titulum summum, quem logice consequitur cultus liturgicus summus, seu Protoduliæ. 158
Thesis decima octava. — Ratio, inter alias, propter quam B. Josephus cultu summo non fuit, ad hunc usque diem, auctus, inde forsan venit, quod ejus excellentia propria et affinitas ad Deum, nondum fuerint jure publico factæ, agnita ejusdem vera et objectiva erga Incarnatum Verbum paternitate. 164
Sectio secunda. — De sanctitate S. Josephi. 174
Thesis decima nona. — « Justus » Josephus non fuit justus, nisi justitia sua omnibus Beatis excelluerit ; hanc porro justitiam excellentem satis in SS. Paginis signavit Spiritus sanctus. 175
Thesis vigesima. — Sanctitas Josephi mirifice crevit exemplis Jesu et Mariæ. 183
Thesis vigesima prima. — Sanctitas Beati Josephi duplici argumento S. Thomæ demonstratur. 185
Thesis vigesima secunda. — Sanctitas omnium summa venit Josepho pariter cum Maria 193
Thesis vigesima tertia. — Pater Verbi Incarnati, Josephus, non potest primus in cœlis, post Mariam, non consistere 200
Thesis vigesima quarta. — Sanctissima Trinitas Josephum supra omnes gloria et honore coronavit. 204
Thesis vicesima quinta. — Sanctitas Josephi demonstratur ex loco quem in ordine gratiæ occupat. 207
Thesis vigesima sexta. — Ratione theologica eædem theses confirmantur. 208
Thesis vigesima septima. — Ex elogio, quod Christus de S. Joanne Baptista protulit, nihil, testibus theologis, contra præstantiam S. Josephi evincitur. 214
Thesis vigesima octava. — Ad majoritatem S. Joannis Baptistæ absolutam vel relativam nihil ex SS. Patribus evincitur. 225
Thesis vigesima nona. — Verba Christi : *Inter natos mulierum major propheta Joanne nemo est,* vel parallela S. Matthæi, nec necessarsio nec recte sunt accipienda, ut majoritas supra omnes cœlites significetur. . . 229

THESIS TRIGESIMA. — Etiamsi Christus Joannem majorem, et quidem etiam sanctitate, dixisset cunctis hominibus, in hac tamen universalitate Beatus Josephus non necessario deberet comprehendi. 233
THESIS TRIGESIMA PRIMA. — Quædam solvuntur objectiones. 235
PETITIO ALTERA. — De nomine Josephi in Missa recitando. 247
I. — Potest Summus Pontifex. 248
II. — Rationes. 262
III. — Incommoda. 266

Imp. M.-R. Leroy, 185, rue de Vanves. Paris

233.96
C 1
33057
AUTHOR C. MARIANI
TITLE De Cultu S. Joseph Amplificando Postulatum
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
Rutledge
STORAGE - CP
33057